Digitized by Google

6
22-1
85 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 B
29

6 - 22. d. 85

RENATI RAPINI

E SOCIETATE JESU

ECLOGÆ.

HIS ACCESSERUNT

CAROLI NOCETI

EX EADEM SOCIETATE

ECLOGÆ TRES

NUNC PRIMUM EDITÆ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ cIↄ. Iↄcc. LI.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
IN FORO S. IGNATII.
SUPERIORUM FACULTATE.

Google

ECLOGA I.

IN VIRGINEM CONCEPTAM.

DAVID, SEU PASTOR VATES.

Naſcituræ Virginis imaginem per ſomnum objectam amat, & veneratur.

HOC nemus, has valles, hæc flumina paſtor amavit
Jeſſæus, dulces illo ſub monte capellas
Paſcebat, tenuique gregem mulcebat avena.
Hic cecinit: cantu rupes vicina ſonabat:
Fatidicam quoties perculſus numine mentem,
Divinam valles docuit reſonare profundas
Parthenidem: caſto paſtorem incenderat igne
Parthenis, Hebræas inter pulcherrima nymphas:
Vos fagi teſtes, & odoriferæ Cypariſſi.
At quæ vicinæ fundit ſe plurima rupi
Deſuper ulmus, habet calamos paſtoris, & ipſo
Servat adhuc, cecinit quondam quæ carmina, trunco.
Non procul e veteri reſonant examina quercu.
Silva avibus ſtrepit omnis, & ille herboſa ſecundum
Prata fluit qui rivus aquæ, dum garrulus errat,
Paſtorum teneros, quos ſæpe audivit amores,
Narrat ad offenſas arguto murmure cautes.
Ingens ad lævam tollit ſe lucus, ubi omnis
Cæde madet tellus, & rorant ſanguine vepres.
Hic paſtor pugnavit, & hac immane leonis,
Cum jaculo, victor ſpolium ſuſpendit ab ulmo.
Cogite oves pueri: ſilva dedit urſus ab alta
Ingentem ſonitum: ſed qua veſtigia torquet
Bellua, ſe tollit contra, dextraque prehenſam

Implicat, & molli oppreſſam diſcerpit in herba;
Statpecus, attonitumque metu reſpectat, & horret
Hirſutumque ſupercilium, villoſaque terga.
Junipero truncum caput urſi pendet ab iſta.
Ducite ut ante greges, & reddite carmina ſilvis,
Paſtores, merita victorem ornate corona.
Nam patriæ fera monſtra, iſto ſub monte, peremit.
Parce tamen victor procedere, gramine in altò
Cæruleus latet anguis, habet ſub dente venenum.
Nequidquam paſtor fugit avius, avia ſerpens
Afflavit tabo late, infecitque veneno.
Eſt ima ſub rupe ſpecus, ſonat intus aquæ fons,
Quem circum multo ſundit ſe gramine muſcus,
Atque apium,atque hederæ,atque virens thymus, atque
adiantum.
Huc dum ſolæ errant per devia rura capellæ,
Sole ſub ardenti, paſtor ſe ferre ſolebat,
Hic canere, hic viridi frigus captare ſub umbra.
Huc quoque deprenſum per gramina,dum fugit anguem,
Venerat, inque humili feſſus deſederat herba,
Cum rupem affatur jam plenus numine Vates.
O quæ ſerpentem, victo paſtore ſuperbum
Vidiſti ſeu tu rupes, ſeu vallis, eumdem
Virgine ab Hebræa quondam mirabere victum.
Nec jam lethales colubri per prata nocebunt.
Tuque o! quam ſeclis promittunt fata futuris,
Diva veni, durum gentis miſerata laborem.
O! mihi ſi tantum vitæ ſuperaret, & ævi,
Virgo, tuum coram ut poſſem celebrare triumphum
Montibus in patriis, mihi pagus cederet omnis
Cantanti, nec me, cecinit qui proxima Moſi,
Ut perhibent, calamo egregius ſuperaret Elizes.
Talia jactanti fontis vicinia ſomnos
Fecit, eunt trepidò lenes dum marmore rivi.
Vix bene ſopito fatis promiſſa puella,
Quæ colubri caput elidat, monſtrata per auras.

Hæ

Hæ ſimul auditæ voces. Hæc Parthenis ora;
Parthenis hos oculos quondam feret, inclyta tantum
Parthenis, atque alias inter formoſa puellas,
Quantum alios inter formoſus Lucifer ignes.
Tu venturam orbi primis venerabere votis,
Paſtor, eam tecum pubes agreſtis amabit.
Talibus attonitum viſis, ſomnoque ſolutum
Jeſſiadem Nymphæ divina reliquit imago.
Ille autem magno jam tum perculſus amore,
Quis mihi, quis te, inquit, rerum pulcherrima Nympha
Objecit Deus? Atque objectam protinus idem
Eripuit? Quid Virgo fugis? Si quæris amari.
Aut ſi te celas, cur tam divina fuiſti?
Credo equidem, tenuem miſeri paſtoris avenam,
Agreſtiſque rudes calami aſpernabere cantus.
Accipe vota, meos ſi non dignaris amores.
Et quamvis me non auſim promittere amantem,
Nec ſperem fas eſſe, tibi tamen, omnia quando
Poſſumus, aut poſſe incauti ſperamas amantes,
Partheni, forte tibi mea quondam vota placebunt.
Montibus ante cavæ valles, aut vallibus umbræ,
Fontibus aut rivi deerunt, aut murmura rivis,
Quam tua, Virgo, meo labatur pectore imago.
Quæ te non rupes illis videre diebus
Errantem, & blandos jactantem pectore queſtus;
Fortunate animi paſtor? Quæ ſaxa gementem,
Qui montes, quæ te non audivere cavernæ?
Sed ſeu te rupes, ſeu gramina læta fluentis,
Seu virides ſilvæ, ſeu patria rura tenerent:
Parthenidem ſilvæ, & rupes, & rura ſonabant.
Quid memorem? Vano quoties altaria ritu
Fluminis in ripa, vel fontem propter amœnum,
Ceſpite de viridi, ſectaque ſtruebat ab ulmo:
Tum lectos pratis flores, textaſque coronas
Ponebat ſuper, & ſilveſtria dona ferebat.
Illum etiam, perhibent, ſeu Sidera forte videret,

Seu Solem, & Lunam, ſeu pictos floribus hortos,
Dixiſſe aſſuetum, Tibi picti floribus horti,
Sol, & Luna tibi, tibi Partheni ſidera cedunt.
Nec tecum forma contendat pulchra Rachelis,
Quamquam illam Iſacides per tædia longa pararit
Bis ſeptem annorum, nec tædia longa putarit.
Dum vagus erraret, venit Jordanis ad undam
Laſſus, & extremæ ſedit ſub margine ripæ,
Multa putans: tum ſic tenues effatus in auras.
Ripa ſilet, ſilet aura, ſilent cum flumine valles:
Nec pectus, mœſtoque ſilent in pectore curæ.
Ecquis erit tanto modus, aut quis finis amori?
Omnis ſperat amans, & durus ſperat arator
Venturam ſegetem, maturam vinitor uvam,
Fœturam paſtor, flaventes meſſor ariſtas.
Quin age, præque diem veniens, o, Nympha, beatum
Naſcere, naſcenti Zephyris clementibus auræ
Aſpirent, puroque micet lux candida Sole.
Ah! ne illam rigido contriſtet frigore lucem
Immitis Boreas, aut nubibus aëra fœdet.
Ah! ne illum contra tendant ſe nubila Solem.
Talia per montes, ſubjectaque montibus antra
Dicebat, nec quid poſſet ſperare, videbat:
Tantum per ſilvas, & per deſerta viarum
Ibat, ubi, quondam ventura in Virgine, vanus
Suſpirabat amans, quos non ſperabat, amores.

ECLOGA II.

IN VIRGINEM CONCEPTAM.

PASTOR VATES.

Virginis ſibi per ſomnum objectæ futuram dignitatem vaticinatur.

ECce coronatis ceſſarunt rura juvencis,
Ipſi cum gregibus perſultant monte ſub iſto
Paſtores, non hæc regnat per rura voluptas

Ne-

Nequicquam ; Pagum rumoribus acta per omnem
Fama volat, cæſum patrio a paſtore leonem,
Silvarum qui terror erat : venere coloni,
Paſtores venere, feram videre jacentem,
Incertum qua cæſa manu : dumque avia luſtrant,
Jeſſæum ſolo vatem reperere ſub antro
Hærentem, curaſque gravi ſub corde prementem.
Venit Adon, venit Jonatas, dilectus uterque
Paſtori, juvenes ambo, & cantare periti,
Venit & Amaſias Pagi longævus aruſpex,
Qui quondam calamos, nec inertes paſſus avenas
Montibus in Syriis ; omnis vicinia venit.
Mulcebantque ægrum dictis, curamque levabant.
Ille autem divinum animi confeſſus amorem eſt :
Tum viſam in ſomnis vana ſub imagine Nympham
Narrat, & auditas voces, cæſumque leonem.
Mirantur caſum ſocii, miratur & ipſe
Amaſias, quid viſa ferant, quo ſpectet imago
Parthenidis, fari hortatur : tum numine plenus
Fatidicus Paſtor, monſtratæ Virginis ortus,
Fatorumque vias aperit, ſimul incipit ipſe,
Mirari ſimul, & feſto fremere omnia plauſu.
Nam memorabat, uti mulier labefacta colubro ;
Exitium generi fuerit, tum lapſa per omnem
Progeniem late turpis veſtigia noxæ.
Hoc erat in pratis, inquit, quod lethifer anguis,
Dum præceps fugerem, diro me dente petebat.
Et memini, cum me mater non vana monebat :
Serpentem fuge, nate, ſui nam vulnere morſus
Perdidit ah ! noſtrum ſerpens genus, omnia labes
Pervaſit, fuge, nate, furit vis atra veneni.
Deinde canebat, uti labem contraxerat orbis.
Ut mortale genus triſtis corruperat arbos :
Et fortunatos, ſi nunquam poma fuiſſent,
Mortales, pomum quos ah ! fatale peremit.
Clade in communi rerum, generiſque ruina,

Nar-

Narrabat vitio exemptam, maculaque carentem
Parthenidem: nondum terræ concreverat orbis,
Nondum mundus erat, cum jam formata puella;
Ac dictis ne vana fides, præſagia priſcæ
Pandebat legis. Sodomæo ut ſtipes ab igne
Una domus, merſo ratis una ſuperſtes ab orbe
Reſtaret, medios tuta ut virgulta per ignes
Montis Horebæi, flamma in crepitante, virerent:
Addit, ad effuſos ruptis ut nubibus imbres,
Nil accepit aquæ vellus Gedeonis, ubi ingens
Area perfuſis late ſtagnabat ab undis.
Omniaque immunem communi a labe puellam
Tot rerum oſtentis portendere ſigna docebat.
Tum ventura canit; quo tempore Parthenis orbi,
Quam ſero dabitur, primis ut deinde ſub annis
Cælicolum pactam regi, ſacriſque jugatam
Ominibus cum matre pater ſacrabit ad aras:
Exin uti caſtum cœleſti pondere ventrem
Sentiet aflatu divini numinis auctum:
Nam matris ſimul illa decus, ſimul illa pudicæ
Virginis intactum florem ſervabit, & omni
Virgo parens late in populos celebrabitur ævo.
Tum tibi Nympha aras, tum ſurgere templa videbis,
Affuſoſque aris populos, ipſique Sabæi,
Ipſi Arabes ſua thura ferent, & marmore puro
Templa dabunt, totoque potens dominabere mundo.
Tu tamen interea noſtris cantabere ſilvis,
O mulier divina, ſuo te murmure rivi,
Te rus omne canet, certis tibi dona diebus
Omnis portabit patrio vicinia ritu.
Pars & primitias frugum, cum lacte recenti,
Et toſtas fruges, & adorea liba ſacrabit.
Felices nimium paſtores o! Quibus olim
Te primum dulces venientem lucis in auras
Cernere contingat, quando, ſi credere dignum eſt,
Montibus in noſtris, paſtores inter, & agnos,

Tu,

Tu, Virgo, vitam accipies, lumenque videbis.
O ſi, paſtores, ætas me veſtra tuliſſet:
Primus ego legerem flores, cunabula primus
Floribus ornarem variis, & dona pararem,
Inſuper & calamo carmen modularer agreſti.
Namque tuum numen, quo non præſentius ullum,
Sentiet omnis ager, pomis curvabitur arbor,
Grandia fœcundæ diſtendent horrea meſſes,
Et pecudum plenis manibus preſſabitur uber.
Et jam noſtra tibi ſacramus ovilia, jamque
Fœturam gregis, & pecudes cum lacte vovemus.
Ramus ut arboribus decori eſt, ut montibus arbos,
Vallibus ut rigui fontes, ut fontibus umbræ,
Tu decus omne tuis, noſtri tu gloria ruris.
Et dum flumen aquas, & habebit campus ariſtas,
Immortalis erit noſtro tua gloria ruri.
Ipſæ te pecudes, ipſi cum matribus agni,
Ipſæ te valles, ipſa hæc arbuſta loquentur.
Talia cantabat: repetebant omnia læti
Paſtores, lætæ repetebant omnia ſilvæ.
Ex illo, per agros circum, per paſcua, Nymphæ
Parthenidi ſervatus honos, & certa quotannis
Dona parata, ſuis decor, & laus addita donis.
Nec jam per ſilvas inhoneſtos Agaris ignes
Cantabant pueri, nec jurgia ſæva ſuperbæ
Aut Dalilæ, aut miſeri illuſos Samſonis amores.
Omnia Parthenidem celebrabant carmina, & unam
Parthenidem rupes, unam deſerta canebant.

ECLOGA III.

IN VIRGINEM NASCENTEM.

Cantilenæ.

JONATHAS. ATYS. *Interlocutores*.

Celebrant alternis verſibus Virginis natalia.

DUm molles Jonathas ſub culmine Thaboris agnos
Paſcebat, cantu Jonathas leniſſimus unus,
Iſto monte ſuper dulces qui paſceret agnos:
Venit Atys, cantando & Atys quoque magnus, & ipſi
Par Jonathæ, juvenes ambo, & cantare parati.
Cui Jonathas. *Jon.* Cur non, quando huc convenimus ambo,
Tu canere, ipſe bonus tibi reſpondere canenti,
Ad mollem fagi iſtius conſedimus umbram?
Muſcus ubi, & ſaliens hæc inter gramina rivus.
Hic tenero cithyſus pecori, lotique frequentes,
Et lenes Zephyri, & dulcis cantantibus umbra,
Hicque ſuus paſto potus non deerit ovili.
Atys. At nos divinæ invitant natalia Nymphæ.
Nam fatis promiſſa, polo delabitur alto
Progenies, charæ quam matris ab ubere vidi
Pendentem, ſera e pratis cum nocte redirem.
Et niſi noſtrorum vana eſt prudentia vatum,
Hanc reginam orbis quondam, ſed ſerus habebit.
Jon. Audieram dulces hic quondam, lucis in auras
Venturum infantem, qui nos in ſceptra referret.
Atys. Audieras, & rumor erat non vanus, & ipſos
Sæpe mihi id quondam memini narraſſe parentes.
Jon. Nos lenti interea ceſſabimus? Omnia quando
Dulcis Aty, nata de Virgine certa reportas.
Atys. Carmina nos Nymphæ, non deerunt carmina nobis,

Di-

Dicamus, dicenda neget quis carmina Nymphæ?

Jon. Imo ego, namque tibi non deerunt carmine laudes,
Virgo, tuas tendant qui dicere, dona parabo.
Sunt mihi bis ſeptem puri candoris olores,
Quos aluere ſuis nymphæ Libanitides antris,
Et cantus docuere, vagi dum vallibus errant.
Hos ego, dum creſcis, multa bene ſedulus arte,
Te, Virgo, laudeſque tuas cantare docebo,
Ut tecum ludant faciles, cantuque perenni,
Veſpere te ſummo, primo te mane ſalutent.
Illos, oro, ut ames, nam ſemper amaberis illis.

Atys. Carmina non deerunt, ſi nobis munera deſint.
Nam pater, & parcæ dura inclementia matris
Me prohibet, ne quidquam auſim promittere Nymphæ.
Eſt mihi Bethlemiis olim compacta cicutis
Fiſtula, quam Phinees dono dedit, Iſachar illi
Donarat, noſtris qui primus carmina ſilvis
Ad calamos docuit componere, & addere voces
Cantibus ad numerum, certa ſub lege, coactas.
Hac regem ſæpe Aſſyrium, cum vana tumeret,
Impleretque ſuos falſis mugitibus agros,
Cantabat bonus, & ſocios cantare docebat.
Illa tuas, Virgo, cantabit fiſtula laudes.

Jon. Quamquam ſis vates noſtris paſtoribus unus,
Nec tua vicinæ celarint carmina rupes,
Non tibi, ſi certes, celebranda in Virgine, cedam.

Atys. At quis te, Virgo, magno ſatis ore loquatur?
Aut dicat te digna? Tuo ni munere dicat.

Jon. Qui molli nuper pratorum ſtratus in herba
Cantabam flores, & quæ ſit gratia florum:
Nunc te, Virgo, canam, primo quæ lucis in ortu
Jam potes ore tuo ſplendorem vincere florum.

Atys. Verum ego, qui Lunam in ſilvis, Solemque canebam
Auricomum, tum quæ Lunæ, quæ lumina Solis,

Nunc totis tua, Virgo, canam natalia ſilvis,
Quæ Solem, & Lunam primo jam vincis in ortu.
Jon. Omnes naſcenti vos o! concedite Nymphæ,
Seu quas primus habet, ſeu quas habet ultimus orbis
Formoſas, primo quæ vix ſub limine vitæ,
Et potuit jam tum, & meruit divina videri.
Atys. Nonne vides, cum mite ſolum ſe vere benigno
Induit in flores, ramis exultat opacis
Omne nemus, montes, & prata virentia rident.
Talis prima fuit ridentis gratia Nymphæ,
Primum oculis matri cum reſpondebat amorem.
Jon. Qualis in irriguo cum mollis amaracus horto
Creſcit, & ambroſium creſcendo fundit odorem;
Sic virtus tua, Virgo, tui ſic gratia vultus
Creſcet, & ipſa ſuum creſcendo fundet odorem.
Atys. Forſan & ipſe etiam, quos Nymphæ ſidera mores,
Dum creſcat, veniatque ſuis cum floribus ætas,
Et quæ fata parent, canerem, ſi blanda canenti
Gratia, ſi digni ſpirarent Virgine cantus.
Jon. Creſce puella, tibi creſcit quæ plurima myrtus;
Vallibus his, nec aquas, nec iniquos ſentiat æſtus.
Atys. Naſcenti myrtus ſi ſit gratiſſima Nymphæ,
Nec roſa, nec violæ myrtos, nec lilia vincent.
Jon. Matres ferte roſas, vos lilia ferte puellæ,
Ut texam Nymphæ lecto de flore coronam.
Atys. Tollite vos matres, vos tollite ſerta puellæ;
Sidera deſcendant cœlo, Nymphamque coronent.
Jon. Saltem purpurei per gramina creſcite flores,
Quos legat, & nitido componat pollice Nympha.
Atys. Floribus at ſat erit, ſi ſub veſtigia Nymphæ
Surgant, vel ſacro preſſi pede ſurgere ſperent.
Jon. Cum pratis præſens aderis, non carmina deerunt
Culta, nec incurvo reſonet quæ tibia buxo.
Atys. Tuque hic inter oves frondoſi fontis ad umbram,

Subli-

Sublimis muſco frigus captabis opacum.
Jon. Nec te pœniteat pecoris divina Puella,
Pavit & ipſa greges quondam formoſa Rachelis.
Atys. Tum noſtri Agricolæ, quando tua nomina norint,
Te votis facilem ſegeti, pecorique vocabunt.
Jon. Spem facit Agricolæ prima ſementis in herba,
Paſtori fœtura, gregi ſpem gramina, rivi
Graminibus, tua, Virgo, tuo natalia ruri.
Atys. Graminibus pecudes, & gramina vallibus imis,
Imæ fluminibus valles, & flumina ripis,
Arboribus ripæ, nos ſpe gaudemus amantes.
Jon. Ipſe, ſinat mater, placeant quæ munera mittam:
Namque locum vidi, quo conceſſere columbæ.
Atys. Sunt mihi cana novem molli lanugine, nuper
Sepibus in noſtris, quæ mala Cydonia legi.
Eſtque domi dilecta ſoror, quæ munera portet,
Et dicat: Virgo, qui mala Cydonia mittit,
Mittit & ipſe animum: tu munus & accipe, & illum.
Deſierant, at oves ut erant circum, atque juvenci,
Obſtupuere & oves cantum, obſtupuere juvenci.

ECLOGA IV.

IN VIRGINEM NASCENTEM.

MUNERA.

Virgini naſcenti parant munera Paſtores.

ITe boves, omnis pagus vacat, ite ſoluti
Vomeribus, raſtrum vacuus deponat arator.
Feſtum paſtor agat, tua ſunt natalia, Virgo.
Hæc viridi e tumulo, terebinthum ſubter opacam,
Divinus Lyſias, turba ſpectante, canebat,
Idem paſtorum Lyſias, oviumque Magiſter.
Accurrunt Nymphæ ad cantum, properantque vocati
Agricolæ, qui dona parent, portentque Puellæ.

Et prior ante alios preſſo cum lacte ferebat
Inſignes maculis, capra e candente, gemellos
Belieſer, primo cervix quibus ardua cornu:
Cervicemque ſuper lecto de flore corona.
Sedula Tamarias, cum Belieſere marito,
Lilia cana novem dono fert, fertque hyacinthos,
Florenti nexos, & permixtos amarantho.
Fert Jocabe fructus, horto cui divite multi
Pendebant ficus, & mitia poma rubebant,
In muſco ficus, in vimine poma ferebat.
Portat cum famulis, & dura conjuge Beris,
Frondoſi qui ſumma colit pineta Sionis,
Dives agri, dives pecoris, vitiſque novellæ,
Primitias frugum: properataque liba per herbam
Expediunt famuli, perfundunt lacte placentam,
Tum parco melle intingunt, onerantque caniſtris.
Fert turdos Jonathas, viſco qui ſæpe tenaci,
Retibus aut tenſis, aut fictæ carmine vocis,
Et fallebat aves, & eas cantare docebat.
Tum bonus ipſe etiam exemit quæ ſubere Phiſon
Cerea dona cavo, puro cum melle parabat.
At felix operum, quæ nullis una puellis,
Seu tereti lino, mollis ſeu vellere lanæ
Ducat opus, ducti concedat munere fuſi,
Dina laborati textum admirabile lini
Portat divinæ chlamydem factura puellæ,
Docta & acu linum, docta & deducere fuſo.
Bernice, certis cui plurima mulctra diebus
Spumabat, ſinum lactis parat anxia, & addit
Lacti pruna, roſaſque, ſuus quæ Beris amabat:
Et ni, Virgo, tibi ſervaſſet, Beris haberet.
Ducit Atys geminas ipſa cum matre capellas,
Spem gregis, & blandæ ſolatia prima ſororis,
Quæ bis & ad mulctram veniunt, bis & ubera tendunt.
Utque ſuo quoque non deſit ſua gratia dono,
Et lotas nitidis in fontibus, & bene pexas,

Atque

Atque roſa,atque thymo,atque apio frondente coronas.
Non procul hinc plexis redimitæ tempora ſertis
Thaborides nymphæ per florea rura vagantur,
Arbuteis quæ ſerta legant portanda caniſtris,
Et thymbram, & violas, & cetera munera ruris,
Munera divinæ cunis ſpargenda Puellæ.
Pars molles calathos florenti texit hibiſco,
Parſque legit flores, calathos pars floribus implet.
Dum parte ex alia paſtorum ruſtica pubes
Vino hilaris, dulcem vicini fontis ad umbram,
Virginis agreſti laudes meditatur avena:
Quos etiam monitis Lyſias hortatur, & urget.
Vos ait, o, quibus eſt lectos per gramina flores
Quærere amor, mecum naſcenti ſerta Puellæ
Carpite, & eximiam imprimis de flore coronam
Texamus, mollique thymum jungamus acantho:
Spirat dulce thymus florenti junctus acantho:
Et denſa Nymphæ cunas aſpergine florum
Ornemus, capitique ſuos addamus honores.
Namque Dei, ſi vera fides, & credere dignum eſt,
Quondam mater erit, nec eam ventura ſilebunt
Tempora, ſi meritæ norint præconia famæ.
Ecquis erit tantam inter vos qui dicere Nympham
Audeat, & blando teneat ſpectacula cantu?
O mihi ſi primi redeant cum viribus anni,
Qualis eram, cum me calamo donavit eburno
Mathatias, celebrata olim ob certamina fratrum,
Quali, Virgo, tuas cantarem carmine laudes!
Vos quibus eſt animi vigor, & vis blanda canendi,
Vos o naſcentem, paſtores, dicite Nympham.
Egregium victoris erit pro carmine munus,
Molle pedum, flavo extremum quod vinxerat ære
Bananias, morienſque mihi donarat habendum.
Addam utrem paribus calamis, & follibus aptum.
Ore favete omnes, & cingite tempora lauro.
Sic fatus ſumpſit laurum, quam tempora circum

Im-

Impoſuit: ſic fidus Athys, ſic cetera turba
Et certare alacres, & jam cantare parati.
Carminibus dictis, tam lætæ lucis honorem,
Per patrios montes, vicinaque rura, quotannis
Indixit Lyſias ſolemnem ſemper habendum.

ECLOGA V.

IN VIRGINEM TEMPLO PRÆSENTATAM.

VIRGINES HEBRÆÆ.

Helisabe, Susanna, Debora, Salome.

Ad Templum properant, ut Virginis ſe ad aras devoventis pompam videant.

Hel. Quo vos o fidæ comites properare paratis?
Deb. Ad templum, nos feſta vocant ſpectacula templo.
Quo tu autem? Nam te miror procedere ſolam
Heliſabe, quo tendis iter? *Hel.* Quo tenditis ambæ.
Suſ. Hoc tibi dura adeo potuit permittere mater?
Hel. Ipſe pater, clam matre, domo diſcedere juſſit,
Qui dum forte domo ſe matutinus agebat,
Audiit, in totam quod ſpargi cœperat urbem,
Delubro in magno ſpectacula certa parari,
Virgine ab Hebræa, Hebræis viſenda puellis.
Deb. Me quoque qui ritus, quæ ſint ſpectacula porro,
Viſere vult mater, neque me pater ire recuſat.
Hel. Tu ſine me comitem mea Debora, & inter eundum
Quæ Virgo, quam rem demum paret, ordine pande.
Deb. Eſt templo mihi fida, tibi bene nota Salome
Una Sacris alias inter devota puellas.
Illa domum miſit, qui me cum matre moneret,
Quid rerum in templo, quo ritu Virgo pararet
Trimula, regali prognata e ſanguine Virgo.
Tum matrem (namque hæc ſpectacula ſemper amavit
Ma-

Mater) amor cœpit, quid ferret pompa, videndi.
Et mecum templo ſeſe promiſit ituram.
Non tulit id genitor, matri ne turba noceret
Affectæ, ſextoque uterum ſub menſe ferenti.
Huc feſtino autem, matri quæ viſa reportem.
Hel. Olli quod nomen, quæ ſit fortuna puellæ,
Quod genus, aut qua ſpe tam blandæ ætatis ad aras
Se voveat, referet, quæ noverit iſta, Salome.
Suſ. Non longum eſt quod reſtat iter: ſed forte, priuſquam
Venerimus, ne ſe devoverit illa, veremur.
Sal. Quæ vos o lentæ tenuit mora tanta puellæ?
Pompa omnis perfecta, ſuam ſtat victima ad aram.
Suſ. Hanc fecere moram longa intervalla viarum.
Deb. Singula, quando aderas, non te narrare pigebit,
Dum vacat, extrema namque huc ex urbe venimus.
Sal. Dicam equidem, neque vos longo ſermone morabor:
Principio niveis ingens in veſtibus ibat
Turba Sacerdotum, quæ carmina ſacra canebat.
Tum pueri tortis evincti tempora ramis
Ardentes manibus tædas de more ferebant.
At Virgo, puri qualis roſa plena pudoris,
Ore rubens, linoque caput velata recenti
Ibat: eam circum flores, lauroſque virentes
Vimineis Nymphæ calathis, & ſerta ferebant.
Flaventem levis aura comam ſpargebat eunti.
Suſ. Illam ſi quid amas, meruit quæ talis amari,
Cur nomen celas nos Virginis hujus amantes?
Sal. Parthenis eſt nomen, tenuis fortuna puellæ:
Sed genus eſt priſco Regum de ſanguine clarum.
Ut ventum ante aram proſtratæ fundimur omnes,
Orantes multam ſacra pro Virgine pacem:
Stabat at illa animi fidens, araſque tenebat
Multa Deum verbis teſtata, Deique miniſtros.
Juxta aderat, lacrymiſque ſinum replebat obortis

An-

Anna parens; natamque Deo parere monebat.
Illa Deum affatur. Nos blanda in Virgine fixæ
Spectamus, quo vota ferant, quid munera portent.
Tum qualis nobis, & quam Divina videri
Cœpit! Honos oculis novus, & decor additus ori.
Mirabar tacite mecum, & ſuſpenſa pavebam.
Sed magis obſtupui, cum ſic exorſa profari.
Accipe prima mei voveo quæ dona pudoris,
O Pater, æternum da Virginitatis amorem,
Da colere, atque omnem ſit fas odiſſe hymenæum.
Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Mille roſis, ut erant circum, texere puellæ:
Tum carmen cecinere: modos, & verba notavi.
Cedite Virginibus, vos o jam cedite matres.
Nec nos innuptas nuptarum gloria tangat,
Una ſuper reliquas Virgo memorabere matres,
Solaque Virgineum ſervabis mater honorem.
Poſtremo Anna parens vocem tollebat anhelam
Attonitæ ſimilis, fidens i nata, hymenæos
Sperne omnes, tuque inſigni lætabere facto.
Tempus erit, cum mille ævo florente puellas
Spernere dotales tecum mirabere tædas,
Quas pudor æternus ſacro velabit amictu
Cœleſti pactas ſponſo, & tua facta ſecutas.
Talia dicebat ſimul, & ſimul ora rigabat
Lætitia illacrymans, natamque amplexa tenebat.
Suſ. Quæ turba, o comites? Quin cedimus. *Hel.* Hei mihi! velum
Rumpitur, oppreſſæ fer opem Suſanna ſorori.
Sal. Virgo redit, cernis venientem: multus inumbrat
Flos caput. *Deb.* Ut vultus blande demiſſa modeſtos
Incedit gravis, & toto ſpectabilis ore!
Hel. O fortunati, qui te genuere parentes
Tam dignam, noſtros cui devoveamus amores!
Sal. Ite domum, ſero inclinat nam Veſper Olympo,
Cum jam pompa omnis proceſſerit, ite puellæ.

Suſ.

Suſ. Hac iter eſt breve per divortia certa viarum,
Et collis ſecretus: habet nam cetera vulgus.
Hel. Poſt turbam lentæ, manibus per mutua nexis,
Ne nos diſperſas agat in diverſa, ſequamur.
Deb. Si prius audiſſem, quid talis pompa tuliſſet:
Ingens myrtus erat tecti in penetralibus altis,
Fregiſſem ramos, & Nymphæ ſerta tuliſſem.
Suſ. Neſcio quæ blanda, comites, dulcedine mentem
Vis agit, expertem thalami ſtat degere vitam:
Aſpernata viros divino Sponſa marito
Virgo datur, quid non nobis ſperare licebit?
Hel. Si fas cœleſtis thalamos optare mariti,
Non ipſa abnuerim mortales ſpernere tædas.
Suſ. Digna Deo tu Sponſa, viros ſi deſpicis omnes.
Deb. Quid faceret, qui te tot agris dotalibus ambit
Ananias? Huic te, ut perhibent, pepigere parentes.
Hel. Sunt aliæ in Solymis, quarum connubia poſcat.
Suſ. Quo ferat ille ſuos a te deſpectus amores?
Quin fucum, comptaſque comas, unguentaque amantis,
I potius, ſequere, atque animos ſubmitte marito.
Hel. Te potius ſequor, & tecum connubia ſperno.
Suſ. Quid ſi dura premant invitam juſſa parentum?
Hel. Hinc fugerem, & montes errarem ſola per altos
Venatrix: liquidi præberent pocula fontes.
Interea mixtis luſtrantem Galgala Nymphis,
Frigus ubi captare, dies cum plurimus ardet,
Fas foret, & lectos tibi, Partheni, nectere flores.
Deb. Verum ego, Virgo, tui mores imitata pudoris
Ante aras ipſo tecum conſumerer ævo:
Servaremque tuos, tua per veſtigia greſſus.
Illæ, hæc inter ſe dum miſcent verba puellæ,
Haſque agitant alto curas ſub corde, redibant.

ECLO-

ECLOGA VI.

IN VIRGINEM ANNUNCIATAM.

SIBYLLA.

Sibyllam Erythræam, quæ forte venerat ad Jordanem, dum conſulunt duo paſtores, mira audiunt ab illa de Virgine ſuo in rure paritura.

URanides Muſæ, quando divina paramus,
Et vos divinum vati concedite carmen.
Non omnes tenuis cantus delectat avenæ.
Forte ſuas paſtum pecudes ad gramina nota
Valle in deſerta Sephis ducebat, & Arnon,
Inſignes iidem calamis, jaculiſque periti.
Dumque una quærunt Lyſiam (ſpe carminis ambos
Iamdudum Lyſias incenderat) ecce ſub antro,
Cum jacetipſe ſibi indulgens, videre jacentem,
Et carmen petiere. Senex, dum multa recuſat,
Ite, ait, o pueri, non deerunt carmina vobis,
Ite, & Erythræis quæ nuper venit ab oris,
Carmina quæ vultis divinam orate Sibyllam.
Hanc, fama eſt, vitream liquidi Jordanis ad undam,
Excelſo ſtantem in ſcopulo, ſub rupe cavata,
Eventus rerum populis aperire futuros.
Illa colit ſilvarum umbras, & ſola ſub ipſis
Litoribus, nemorumque receſſus inter opacos,
Degere amat, monteſque feros, umbraſque ſilentes
Affari; ut fera nuper mihi nocte canebat
Alcimus, amiſſis qui tum reſponſa Sibyllam
Orabat tauris, & ſe vidiſſe ferebat.
Ite, ego dum paſtas pecudes ad tecta reduco.
Vos o! quæ novit rerum ventura, Sibylla
Vos longe doceat melior. Mandata capeſſunt,
Corripiuntque viam, qua ſemita ducit ad amnem.
Ut fluvium venere, moram nam longa viarum

Aut

Aut ſpatia, aut paſſim obiectæ per confraga valles
Non fecere, vident ſtantem ſub rupe Sibyllam,
Speluncæ ante fores; denſis quam plurima ramis
Umbrabat late fagus, fagique ſub ipſis
Carmina ſcribebat foliis ſpargenda per auras.
Quos Virgo ut vidit ſubitum teſtata furorem,
Exclamat, ſaxoque ambos affatur ab alto.
Accipite hæc animis, rerum quæ maxima vobis
Edico, o pueri. Veſtris naſcetur in oris
Pura animi Virgo, quæ quamquam illæſa pudoris,
Dici Mater amet. Manibus vos lilia plenis,
Lilia virgineæ paſtores ſpargite matri.
Quæ flavam vitrei quondam Jordanis ad undam
Paupere ſub tecto, projecti in ſtramine fœni
Auctorem rerum, cœtus non paſſa viriles,
In lucem dabit. Ah! quanto ſe tollit honore
Cœleſtis puer ille? Dei quantum inſtar in illo eſt?
Ite, o paſtores, paſtorem agnoſcite veſtrum:
Sternite humum violis venienti, & ſpargite flores.
Salve magne puer, cœli cui ſidera parent:
Veniſti errantes, longeque per avia ſparſas
Cogere oves, pacemque tua pro gente paciſci.
Debebit veſtræ prima incunabula rupi,
Bethlemii colles: naſcenti carmina dicent
Paſtores paſſim vicino e rure vocati.
Nec tu quamquam atra naſcentem nocte tacebis,
Luna, Deum. Totis celebrent qui gaudia ſilvis,
Cœleſtes aderunt pueri, percuſſa ſonabunt
Saxa, omneſque ibit felix hæc fama per agros.
Ipſi etiam Eoo reges a Sole profecti,
Et puero dona ampla, almæ & dona ampla parenti
Portabunt, illis e ſummo ſidera cœlo
Monſtrabunt regem veſtris in rupibus ortum.
Sed tam juſta autem turbabit gaudia caſus;
Crudeli, mater, ne ſit mora, cede tyranno,
Cede puer, vobis cladem, exitiumque ferenti.

Quos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quos ah! tum gemitus, quæ tum ſuſpiria ab alto
Corde dabit Bethle inſelix! Cum mœſta dolebit
Vi dura regem expulſum, & longinqua petentem
Exilia. Hos fletus, has porro mitte querelas.
Namque tuis, certum poſt tempus, redditus oris,
Se ſignis populo egregium, fandique potentem
Oſtendet, virtuſque viri manifeſta per omnem
Splendebit late factis ingentibus oram.
Vos eritis teſtes, ripæ, cum voce magiſtra,
Et monitis plebem effuſam mulcebit amicis:
Quem populi quamquam ſtupeant inſueta loquentem:
Te, mater, felicem uteri, felicia dicent
Ubera, quæ talem quondam paviſtis alumnum.
Quid video? Niveam chlamydem cruor ater inuſſit
Purpuream, veluti ſi quis pede preſſerit uvam.
Ah! tibi quis tantum puros infecit amictus,
Blande puer? Sed quæ me autem ſpectacula terrent?
Nos inconceſſa decerpimus arbore pomum,
Tu pœnam luis: ah ignoſcite! namque qnid auſus?
Quid meruit? Veſtro, gens dira, ignoſcite regi.
Dum loquor, immiti plantas, & brachia trunco
Diſtendunt, ambaſque inſigunt cuſpide palmas.
Palluit aſpectu Titan, noctiſque profundæ
Attonitos atro obduxit velamine vultus.
Parcite lamentis paſtores, parcite turbæ.
Pro vobis erat ille Patri mactandus ad aram.
Perge, puer divine, tuo nos funere, vitæ
Reſtituis, cœlique vias, & ſidera monſtras.
Te duce candida pax cum fecerit otia terris,
Aurea languenti reparabit ſæcula mundo.
Tum cœleſti humiles ſudabunt melle myricæ,
Ipſi etiam fontes, ipſa & vaga flumina lacte
Undabunt, nec veſtra lupos armenta timebunt.
Ille autem populum monitis melioribus actum
Sinceras fruges, & dulci e vite liquorem,
Taurorum pro cæde, Patri mactare docebit,

Et

Et precibus numen colere, & placare colendo.
In te tot laudum, mater, pars magna redibit,
Una tuo matrum fortunatiſſima nato.
Tum tibi relligio centum ſublimia templa,
Centum aras, centumque aris ſacrabit honores.
Dictorum nec vana fides, nec ſera ſequetur.
Nec jam paſtorem veſtrum ignorate volentes,
Ille ſuas & amabit oves, & amabitur illis.
Finierat; divinæ ambo reſponſa Sibyllæ
Dum tacita rerum attoniti ſub mente revolvunt;
Ibant, & tantæ matri jam vota parabant.

ECLOGA VII.

IN VIRGINEM ANNUNCIATAM.

Virgo Mater contentionem habet duorum paſtorum.

QUæ nemora, aut qui vos fontes, quæ rura tenebant,
Thaborides nymphæ? Veſtri ſub vertice montis
Virginea cum Matre ſuper, miranda canebat
Azarias, iſtis vates non vanus in oris.
Mane rubent ſummo primi cum lumina Solis,
Ad paſtum pecudes cum Beride Charmis agebat,
Charmis oves, agnoſque, capellas Beris, & hœdos:
Ambo ætate pares, paſtores Thaboris ambo.
Et quamquam, ut monitis componeret inter utrumque
Jurgia longa, bonus nil non faciebat Obedon;
Uſque tamen rixas, & jurgia longa ferebant.
Turbæ cauſa fuit Zelphe, quam Beris amabat.
Hanc forma eximiam formoſas longius omnes
Ire ſuper dum jurat, eum jurare parantem,
Turbidus in medio Charmis ſermone repreſſit:
Cui Damaris, mundo Damaris nitidiſſima cultu,
Thaboridas longe nymphas ſuper, una placebat.
Dumque ſua Beris pro virgine plurima tendit,

Pro

Proque ſua Charmis; Carmelo e monte redibat
Azarias animi vates maturus, & ævi.
Namque Deo plenus prædicere multa ſolebat,
Et morem aſtrorum varium, pluviique monebat
Agricolas cum rura ſerunt, præſagia cœli.
Quem prior ut Beris venientem vidit. Hic iſtam
Inter nos, inquit, poterit componere litem.
At ſenior ramo innixus frondentis acanthi
Reſtitit, & quæ ſint, audit, quo jurgia tendant.
Illi altercantes inter ſe multa ſerebant:
Præcipuos nam quiſque ſuæ tribuebat honores:
Verbaque dum verbis, probris dum probra reponunt,
Inque vicem rixantur, & addunt pignora rixis;
His ultra, vates inquit, ne tendite rixis,
O pueri, eſt, veſtræ cui cedant, altera virgo.
Tum cœlum blande aſpectans, paulumque moratus
Abſtinuit dictis, fari tum denique cœpit.
Audite o pueri: vobis myſteria rerum
Apperio magnarum, & ſpes hinc diſcite veſtras.
« Monte ſub hoc, ubi primus oves, ſi vera vetuſtas,
Pavit Abel, calamo curas ſolabar agreſti,
Incuſtoditæ dum per prærupta viarum,
Errabant toto paſſim ſub monte capellæ.
Cantanti, calamoque animum, curaſque levanti,
Quæ mihi, quam divina dedit ſe virgo videndam?
Cui ſi veſtræ auſint ſeſe æquiparare puellæ,
Deſperent, ſic una alias ſupereminet omnes;
Nec tantum puro cedit nox atra diei,
Nec niveis tantum vaccinia nigra liguſtris;
Quantum aliæ cedunt iſti, me judice, Nymphæ,
Quæ ſuper oſtenſa cum nuper virgine, noſtris
Narrabam in pratis, ſtupuit vicina Cleone,
Diſplicuitque ſibi, quamquam formoſa, nec ulli
Lenibus aut oculis, aut mundo cederet ore.
Quid memorem lucentem auro, radiiſque puellam,
Cui caput auricomum, & multo ſplendore nitentes
Arde-

Ardebant oculi, ac formæ cœleſtis honores.
Ut vidi, attonito ſenſi ſub pectore eoſdem,
Quos animo inſpirat Divûm præſentia, motus.
Ver purum blando ſpirabat ab ore puellæ,
Florebant ſic labra roſis, ſic ora liguſtris.
Demiſſa ex humeris nectebat fibula veſtem
Candida candentem: nam ſeſe plurimus omnes
Fuderat inque artus, inque ipſos candor amictus:
Candida erat blandos vultus, & eburnea colla,
Candida cervices, & tempora, candida veſtes:
Candidus inque ſinu, villiſque argenteus albis
Agnus erat, Virgo quem blande amplexa fovebat,
Virgo puellarum pulcherrima, maxima matrum,
Cui veſtræ forma nolint non cedere nymphæ.
Tum Charmis. Cedat, quamquam ſibi ſedula crinem
Componat, Damaris, cœpit jam vana videri,
Quæ mihi prima roſas, cui primus fraga ferebam.
Ipſa etiam Zelphe, qua non ſolertior ulla
Texuit aut calathos, aut florea ſerta paravit,
Seu templo ſua ſerta, ſuo ſeu ferret amanti,
Beris ait, cedat Zelphe. Tu maxima Virgo
Noſtras una ſuper longe memorabere nymphas.
At mihi quis te, inquit, tenuit quem candida Virgo
Paſcendum, tener agne, dabit. Te mane ſereno
Florentem ad cythiſum, per paſcua noſtra, vocarem,
Umbraremque apio caput, & frondente cypero.
Te riguæ exciperem herboſo ſub margine ripæ,
Gramineumque thorum, tenera de fronde, pararem;
Mollis ubi æternos Zephyrus candore perenni
Ipſe æternus alit flores, & amœna vireta.
Sertis cara ſoror, vittis te ſedula mater
Ornaret, pexumque manu mulceret, & herbas
Selectas daret, ac puros poſt pabula fontes.
Tuque adeo ante gregem, nam grex tibi cederet omnis,
Ad prata, & fluvios, ipſa ante armenta præires.
Has agno, nymphaque ſuper, cum Beride Charmis

Cœptæ quiſque ſua demum pro virgine rixæ
Obliti, has ambo jactabant ore loquelas.

ECLOGA VIII.

IN VIRGINEM E RURE NAZAREO ABSENTEM ET VISENTEM ELISABETHAM.

Deſideria.

ASOR, ALPHÆUS, ZEBEDÆUS. *Interlocutores.*

Deſcribit ruris Nazarei triſtitiam abſente Virgine.

Aſ. QUid tu, dulci autem tam denique lentus in umbra,
O Alphæe, paras, quæ non fert carmina tempus?
Parthenis hos montes hæc Parthenis arva reliquit.
Alph. Illud erat præter ſolitum quod triſte ſonabat
Fiſtula, & abſurdis ſtridebat rauca cicutis.
Zeb. Nuper & ipſe etiam, ſi mens non vana fuiſſet;
Ipſe malum hoc certis poteram cognoſcere ſignis.
Ducebam molles ad paſcua nota capellas,
Cum matutino tollunt ſe gramina rore:
Mirabar, quid colla novi languentia flores
Deprimerent, multo ſeu fors a Sole peruſti,
Liliaque, atque roſæ, atque immortales amaranthi.
Parthenis hinc aberat, te Partheni lilia, & ipſæ
Abſentem ſenſere roſæ, ſenſere amaranthi.
Aſ. Eſt ulmus, noſtro impendet quæ plurima ruri:
Huc philomela, omnem celebris philomela per oram,
Aſſidue veniebat, ibi modulamine jugi
Noctes, atque dies animi indefeſſa canebat.
Et præſens aderas cum, Partheni, montibus iſtis,
Hæc canere umbroſa nunquam ceſſabat ab ulmo.
Nunc, quod abes, mœrens ſilet, atque in triſtibus errat
Crebra gemens dumis, & ſepibus in deſertis.

Alph.

Alph. Partheni quando aderas feſtum nemus omne
canebat,
Et frondes a vibus, paſtoribus antra ſonabant,
Lætaque ab argutis reſonabant prata cicadis.
Nunc nemus omne ſilet, nec jam paſtoribus antra,
Nec frondes reſonant avibus, nec prata cicadis.
Zeb. Non pratis rigui fontes, non fontibus umbræ;
Non apibus deerant flores, non gramen ovili:
Te ſine, & ipſi apibus flores, & gramen ovili,
Et pratis deſunt fontes, & fontibus umbræ.
Rapta ſimul noſtri tecum ſolatia ruris.
Aſ. Ibant audaces ſola in deſerta capellæ,
Ibat ovis, felix o! tunc pecus, ipſe & ovili
Parcebat lupus, arbuſtis calor, imber ariſtis.
Alph. Ah duris virgo nunc forte in montibus erras:
Nos pratorum umbram, & frigus captamus opacum.
Zeb. Vos o? vos dulces Zephyri, rivique fugaces,
Et calamo toties paſtorum, & voce loquuti,
Dicite, qua, medium dum Sol tenet igneus axem,
Abdita rupe latet tum Parthenis? Aut quibus oris
Inveniam errantem, vel quo ſub fonte ſedentem?
Ah! quamquam agreſtis ſit patria, ne tibi tantum
Diſpliceat, poſtquam dulces te lucis in auras
Et tulit, & teneris toties dedit ubera labris.
Aſ. Nam qui te poterunt nemorum tenuiſſe receſſus,
Partheni? Si patriæ cœperunt tædia terræ.
Hic puri fontes, prætextaque fontibus umbra,
Hic nemus, & lætæ fruges, & copia florum.
Alph. Aut quid abis? dum fraga rubent, dum frondet acanthus:
Albenteſque rubi ſpinis florentibus halant!
Zeb. Parcite oves ad ripam accedere, gramina ripæ
Parthenidi ſunt ſacra; aberit, dum Parthenis, iſtam,
Namque hoc litus amat, ne carpite graminis herbam.
Aſ. Ante ſuo inclemens Boreas quam frigore cœlum
Perturbet, fœdis aut imbribus ingruat Auſter,

Nympha redi, ne te aut imbres, aut frigora lædant;
Alph. Eſt tibi ſepoſito qui floret amaracus horto,
Sunt myrti ingentes, nam myrtos ſemper amaſti.
Si qua tibi eſt, fuerat florum quæ cura, venito.
Zeb. Te matura, gravi quæ pendent arbore poma,
Te noſtræ invitant miti jam cortice ficus;
Sed poma, atque ipſæ miteſcant denique ficus,
Nazareos donec colles, ac rura reviſas.
Aſ. Nympha redi: colles reduci ſe gramine læto
Ornabunt, tibi lacte fluent, & nectare rivi:
Adventuque tuo noſtrum nemus omne virebit.
Flores agricolæ, paſtores dona parabunt.
Ipſe intermixtis portabo ſerta hyacinthis.
Mecum erit Azarias levi qui carmina buxo
Cantet, quæ vitreum quondam Jordanis ad amnem
Iſacides cithara paſtor cantabat eburna.
Addam, & jam mites uvas, & cerea pruna.
Alph. At ſi longinquis in montibus otia ducis,
Virgatum junco calathum pro munere texam.
Hic tibi Nazarei deſcribam paſcua ruris,
Te mœſta abſente, & triſtes per rura capellas.
Et quæ perſpicuis manabat fontibus unda
Ibit pigra ſitu ſitientes inter arenas;
Languebunt campis ſegetes, & gramina pratis;
Quæque comam cœlo nuper tendebat opacam
Læta abies, mœſto caput inclinata dolore,
Nympha, tuos reditus orabit, & omnia circum
Flebunt, ſi fletus poſſint in vimine pingi.
Zeb. Si nos reſpicitis Superi, ſervate puellam,
Dum fugit, & curſu per agros contendit anhelo:
Dumque aberit, quando hæc ſervabat rura, precamur,
Ne rivi exundent ripis, ne turbidus imber
Maturas vertat ſegetes, aut paſcua fœdet.
Aſ. Nocturnos prohibe, Virgo, a præſepibus ignes,
Et defende roſas a Sole, a frigore myrtos,
Dum tibi purpureæque roſæ, myrtique placebunt.

Ut ſi forte viæ quondam, patriæque relictæ
Pœniteat, ſint te reducem qui floribus ornent.
Alph. Ah! dura ſi tendis iter regione viarum,
Ne properes, ſolet eſſe gravis properantibus æſtus.
Ah! ne Sole calor te torridus urat iniquo.
Quin potius ſuccede umbræ, dum præterit ardor,
Inclinatque dies: nam quid te perdis eundo:
Aut cur æſtivo tantum te Sole fatigas?
Zeb. Partheni, quid noſtros in longum ducis amores
Forte tuas etiam mala fiſtula verberat aures,
Dum ſurdis patrii perdunt bona carmina ventis
Paſtores. Iſta tibi fiſtula pendeat ulmo,
Quando aberis, noſtri monimentum triſte doloris.
Nam dum te externis ſors dura moratur in oris,
Quis canat, aut patrio ſperet jam gaudia ruri?
Aſ. Mœrebunt noſtri montes, dum montibus abſens
Indulges Virgo externis, per paſcua nullus
Cantabit Sabaris, nullus ſaltabit Anamis.
Omnia deſertis ceſſabunt carmina pratis,
Et rivis trepidi fontes languentibus ibunt.
Hæc ſuper abſenti cantabant carmina Nymphæ:
Vicinæ cælo referebant omnia ſilvæ.

ECLOGA IX.

IN VIRGINEM VISENTEM ELISABETHAM.

ABSENTIA.

Deſcribit profectionem Virginis ad montes.

Vos mihi, quod veſtris quondam longævus Amyntas
Cantabat ſilvis, quicunque audiſtis Amyntam,
Dulcia cum patrio reddebat gaudia ruri,
Vos mihi divinum paſtores dicite carmen.
Ipſæ hoc namque & oves, ipſi cum matribus agni,

Ipſæ hoc, ut perhibent, ſtupuerunt carmine valles.
Errabant mœſti per agros Benonis, & Aſor,
Compulerantque greges vicini fontis ad umbram,
Paſcentes Arnon ſervabat dum bonus agnos.
Abſentemque ambo per devia rura vocabant
Parthenidem, quæ non iſtis ad prata diebus
Venerat, abſentem rupes, & ſaxa ſonabant.
Thaboris alta fuit declivi in valle cupreſſus,
Nobilis & flexu ramorum, & frondis opacæ,
Quam feſtis circum, calamo reſonante, diebus
Et captare umbram Nymphæ, & cantare ſolebant;
Hanc præter dum mœſti irent Benonis, & Aſor.
Illa ferat, noſtri oſtendat quæ ſigna doloris,
Aſor ait, ſimul hæc, ſimul imo in cortice ſcripſit
Parthenidem abſentem; nec longum tempus,in omnem
Rumor iit pagum, diſcurritur, undique colles
Parthenidem rauci abſentem, valleſque reſultant.
Non tulit hanc ſpeciem, montes qui nuper in altos
Duxerat, & Nympham fuerat comitatus Amyntas,
Proceſſit turbæ in medium, cœpitque profari.
Audite o pueri, vobis nam certa reporto
De Nympha abſente: hæc montes conceſſit in altos
Plena Deo, ceu cum ſurgens Aurora ſupremos
Se tollit primum in montes, luciſque propinquæ
Spem mundo oſtendit, ſperataque dona diei.
Nam poſtquam ſacro accepit ſub pectore Solem,
Præmiſſum mundo Solem, quem tempore ſero
Venturum patres olim, vateſque canebant,
Ire parat, ſummoſque ſuper ſe tollere montes.
Et quamvis ea cura animo vel prima recurſet
Cognatam jam fractam annis, uteroque gravatam
Solari, & pactæ gratari munera prolis:
Plus tamen acceptum numen vulgare per urbes
Finitimas, tantamque orbi ſpem ferre parabat.
Ioſeph filius Heli. Quod potius reor, & potius fas credere duco,
Ipſe nec egregio Nymphæ dignatus Helides

Con-

Connubio, quamvis celaret multa, negabat.
Ergo iter ingreſſi ferimur per opaca viarum;
Illa comam vittis, ſumma e cervice, coercens
Ipſum circa apicem, lino candente premebat.
Nympham autem tacite mecum mirabar euntem,
Et largo totos ſignantem lumine calles.
Namque ut divinum ſancto ſub pectore Solem
Portabat, lux multa ſacro manabat ab ore.
Olli palmiferi toto qui tramite colles
Occurrunt, feſto interea ſua gaudia plauſu
Teſtari, rauco blandiri murmure fontes,
Et ſtrepere, & molles per ſaxa iterare ſuſurros.
Ipſæ etiam ripis volucres, & vallibus imis
Aſſuetæ, tenues viſæ geſtire per auras,
Et blando auditæ per dumos plaudere cantu.
Voſque adeo monteſque cavi, valleſque profundæ
Senſiſtis Nymphæ adventum, nam culmina montes
Curvare, & valles vidi exultare profundas;
Exultaſtis agri plauſu, exultaſtis ariſtæ.
Quid memorem ſummis cœptas ſe flectere cedros
Verticibus, rigidaſque caput motare cupreſſos.
Ipſæ etiam quercus, & ſumma cacumina fagi,
Parthenidi ipſæ etiam tendebant brachia ſilvæ;
Et ſeges irrequieta, videndæ Virginis ergo,
Tollebat caput, & rumpebant germina frondes.
Et ſtupefacta ſuos tenuerunt flumina curſus.
Ut ventum in montes, montanas undique nymphas
Vidimus arbuteis flores properare caniſtris,
Et Nympham tegere, & nimbo cumulare roſarum.
Ipſi paſtores ovibus venere relictis,
Ruſtica multifori fundentes carmina buxo;
Dum laſcivus agris aries, hœdique petulci
Perſultant, teneroque procul ſub gramine ludunt.
Parte alia tellus ſe mille coloribus ornat
Lætitiam teſtata, novoſque aſpirat odores;
Et quocunque pedes Virgo deflectit, amœnum

Pubeſcit nemus, & ramos inclinat olentes:
Ipſi Parthenidem rami, frondeſqne ſalutant.
Haud procul incolitur ſaxo fnndata vetuſto
Urbs Hebron, ubi *Zachariæ* tecta alta ſubimus;
Dumque domum vates nos accipiebat in amplam,
Parthenidi occurrit ſeſe confeſſa minorem
Eliſabe, quam Nympha ſinu complexa verendo
Et premit, & fœtum gratatur: at illa repente
Divinos trepido ſenſit ſub pectore motus,
Lætitiæque, utero ſaliens, ſignum edidit infans.
Quo metu concuſſa parens longæva, Puellæ
Fata aperit; ſolo dum monſtrat gaudia nutu,
Quod poterat ſenior, cui fandi erepta facultas.
Finierat, ſed non poterant lenire dolorem
Paſtores, Nympha abſenti: namque omnia dura,
Quando Virgo aberat, patriæ metuenda videbant.
Illi adeo, dum forte æſtum, curaſque levarent,
Valle ſub umbroſa, terebinthum ſubter opacam,
Abſentem flebant alterno carmine Nympham.

ECLOGA X.

IN VIRGINEM PURIFICATAM.

Sacrificuli.

AMASIAS. ADONIAS. *Interlocutores.*

Apparatus ad Sacrificium expiatorium pro Virgine purganda.

Am. O! Quæ pura rubens inflammat ſidera veſper,
Puri ignes liquidis vos o! purgate ſub undis:
Iſtam quando venit, quæ ſeſe mundet ad aram,
Virgo pura magis puri vel lumine Solis.
Ad. At dum Nympha venis, nivei tibi bina coloris
Licia circumdo, & circum hoc altare reduco:
Nam te pura decent; ea prima piacula ſunto.

Dein-

Deinde ſuis & erunt ornandæ floribus aræ:
Interea plenis per florea rura quaſillis
Carpantur lentæ myrti, carpantur olivæ
Flaventes, feſtæ ſiut hæc inſignia lucis.
Am. Quando, Virgo, tibi purgandæ ſacra paramus,
Acceptæ nulla ut reſtent veſtigia labis,
(Si tamen e partu labem accepiſſe putandum eſt)
Quærendus lympha primum qui ſimplice fuſſus,
Et par cryſtallo fugiat per gramina rivus:
Tum puri latices iſto de fonte petendi,
Quos non limus iners fundo turbaverit imo:
Et crebra undarum luſtrandum aſpergine templum.
Ad. Ante autem flammas adhibe, prius omnia flammis
Sunt luſtranda, ter igne, ter aram thure vapora.
Nonne vides, nitidus flammæ quæ contigit ignis,
Purgari, & porro fuerant quæ lapſa refingi.
Tum, quæ vel flamma nondum purgaverit ignis;
Vel coćto non thure piaverit, eluat unda.
At ne ſulphureum fumo graveolente bitumen
Ure foco, tardumve picis patiare vaporem.
Sed Libano lećti ante alios de monte petendi,
Qui puris permixti herbis urantur odores.
Addendum quidquid tollendæ eſt utile labi.
Debita, Virgo, tibi, partuque, uteorque ſolutæ,
Luſtrandiſque aris, ne fors purgamina deſint.
Am. Tu fer aquam, vacat urna, & fundo inverge capaci,
Dum flammam expedio, ne quid quorum indiget uſus,
Cum non tempus erit, fruſtra fortaſſe requiras.
At cave, ſubjećtam latices dum fundis in urnam,
Si ſupra morem ſpumaverit unda, refundas;
Quæque natant labri ſummo ſpumantis in ore,
Dum licet, impuras quamprimum rejice ſordes:
Verſis iſtam & aquis pateram purgare memento:
Omnia Parthenidi ſint ut ſincera piandæ.

Ad. Tu quoque præcepti partem tibi ſume laboris ;
Ne, fuerant nobis, quæ mox properanda, moremur.
Digere candentes prunas, focus unde paretur,
Cunctaque cum primum fuerint digeſta, ſub aram
Thura fer, & juſſos flammis aſperge liquores.
Am. Cernis, ſponte ſua, ut ſubitis altaria flammis
Corripuit focus ipſe, focum dum forte parabam.
Dum flammæ exſuperant, & plurimus æſtuat ignis,
Tu flammis mecum collectos injice odores.
Adde mares oleas, & olentem cortice cedrum,
Et quas ore malo grex nondum impreſſerit herbas ;
Adde roſas, fumum imprimis compeſce ſequacem,
Ne vapor inficiat, quæ fors purgaverit ignis.
Ad. At dum purgandis ſpargebam altaribus undam,
Saxo ſponte ſua nitor additus : aſpice ut omnis,
Quæ modo ſordebat tabo, nunc ſplendeat ara.
Hæc te divina, o Mater, præſagia ſpectant,
Hebræas inter non dedignata maritas
Luſtrari. Quin Virgo venis, dum ſacra paramus ?
Namque quaterdenos vetitum procedere ſoles :
Iſta dies iſtam te demum expectat ad aram.
Am. Nec tu, pura licet, purgari ſperne, ſerenos
Expurgant vultus liquidis in fluctibus aſtra :
Quin etiam eximios candore videmus olores
Ferri ad aquas, ſtudioque alacres geſtire lavandi.
Ad. Deſine plura, & ibi, quæ ſunt proviſa, repone.
Eſt aliud quod nunc ſacrorum poſtulat ordo.
Candenti lino præcingere, & ilia circum
Duc vittam, & magnæ, dic, necto vincula matri.
Am. Poſtquam devotas acceperit ara palumbes,
(Nam gemina eſt Matri proles redimenda palumbe)
Tu diſtringe alas, cœlo ne forte patenti
Elapſas fuga diſſipet, atque abſterreat aris.
Ad. Sepoſitos ignes incenſa profer ab ara,
Atque hæc verba adde. His, Virgo, purgabere flammis:
Ut flammis fuſi purgatur maſſa metalli.

Am.

Am. Tu dum ſpargis aquas, has proderit addere voces:
Ut magis hac crebra undarum aſpergine ſaxum
Eluitur, ſic tu hac, Virgo, luſtraberis unda.
Ad. At tibi collectos, brevis eſt mora, nectere flores
Cura ſit, & nexos ori fer, & apprime labris:
Et dic. Hos flores, hæc offero dona piandæ
Parthenidi; tanto ſit Parthenis omine pura.
Am. Carmina mittamus, quod fert jam tempus agamus.
Carmina multa ſatis, veniat modo Nympha, canemus.

ECLOGA XI.

IN VIRGNEM EXPIATAM.

Laudes.

ZAMBRI. AZARIAS.

Virginem e templo redeuntem laudibus proſequuntur.

Zam. Azaria, poſtquam perfecto munere mater
Exportans natum ſacris purgata receſſit,
Et nos purgatæ debemus carmina matri.
Matri, cujus honos tollit ſe tantus Olympo,
Editus a terris quantum ſe tollit Olympus.
Azar. Et quæ debemus, par reddere carmina Nymphæ,
Nymphæ, cujus amor divini dignus amoris
Fecit eum, cœli cui regia paret, amantem.
Quid ceſſamus? amet noſtro ſe carmine dici,
Si noſtri tanta digni ſint Virgine cantus.
Zam. Betlemii colles? quondam plorata Racheli
Rura, cavis o! nunc redeunti plaudite Nymphæ
Rupibus, & toto exultans e litore plauſum
Jordanis, plauſum ipſa omnis reſponſet Idume.

Azar. Tendis Betlemiæ dum, Virgo, per ardua rupis,
Balſama, vel ſi quid, quam balſama ſuavius uſquam eſt,
Sub pedibus, paſſimque virens naſcatur amomum,
Ne ſit is indignus, tanta te Virgine, callis.

Zam. Ardenti Virgo ne fors ſe ſole fatiget,
Dum redit urbe domum, non omnia poſſumus omnes,
Vos umbram palmis, umbram prætendite myrtis,
Paſtores, meruit fieri ſibi talia Virgo.

Azar. Ne nimium montana feras per ſaxa laborem,
(Namque gravis montana labor per ſaxa) ſonantes
Si ventos, dum tendis iter, nubeſque timebis,
Carmine mulcebo ventos, nubeſque tenebo.

Zam. Verum ego dum Nymphæ clementis commoda cœli
Orabam, nexiſque arcendos frondibus æſtus,
Jam blanda aſpirat lenis clementia cœli,
Et Solis ſeſe nimii fregere calores.

Azar. At vos dum ſponſæ ſequitur veſtigia ſponſus,
Lenti ite, in medio ne fors puer algeat æſtu;
Neu dura infeſti noceant incommoda cœli,
Aut puero, aut matri, ſperataque gaudia vertant.

Zam. Si patrii audierint me vates, publica totis
Cantabunt Nymphæ redeunti carmina ſilvis.

Azar. Et mihi paſtorum pubes ſi ruſtica credat,
Mille illi totis pendebunt munera lucis.

Zam. Nymphæ Betlemiis florent quæ lilia campis
Concedant, ſummoque nitent quæ ſidera cœlo;
Et tu Luna, ardes cum puro argentea vultu:
Concedat Sol ipſe, auro dum lucet & igni.

Azar. O qui purpureis Superos ardoribus ignes
Accendis, ſeu mane novo cum prima per orbem;
Ultima ſeu ſero cum veſpere lumina portas,
Lucide Sol, poſſis nil viſere Virgine majus.

Zam. Sed puer ipſe etiam eſt laudari dignus, & iſto
Quo mater (ſi fas) dicendus carmine nobis.

Azar. Magna puer meruit, debet cui maxima mater,

Una ſuo matrum fortunatiſſima nato .

Zam. Illa ſinu dum blanda fovet, vultuque puellum,
Credo equidem teneris rapit oſcula mille labellis ;
Qualia nulli unqam natus dedit oſcula matri ,
Quantaque vix ullæ poſſint ſperare parentes .

Azar. Dumque ſuam vultu matrem ridente fatetur
Natus , amor matris jam non ſua gaudia celat .
Nec jam diſſimulas (quamvis pudor obſit amori)
Quem nuper , Virgo , nolebas matris honorem .

Zam. Uberibus matri , dum turget lacteus humor
Diſtentis , longum mammis indulgeat infans .

Azar. Et dum tam puri liquidos bibit uberis hauſtus,
Crebro hunc amplexu permulceat optîma mater .

Zam. Cum primo nomen matris tentabitur ore ,
Ne ſtupor impediat puerilis murmura linguæ .

Azar. Et cum jam pedibus veſtigia figere certis
Incipiet , petat amplexus , petat oſcula matris .

Zam. At quoties labris nati imprimet oſcula mater,
Florentes tot ab ore roſas , tot lilia carpat .

Azar. Et quoties natns pendebit ab ubere matris,
Impreſſo puras tot ducat ab ubere gemmas .

Zam. Matris in amplexu tantum venientibus annis
Creſce puer , quantum primi ſub tempora veris
Vallibus in riguis , & opacæ matris in umbra ,
Surculus aërias ſe tollere ſuevit in auras .

Azar. Ah ! puer in quantos creſcis cum matre dolores ?
Nec te pœniteat puer ah ! divine laborùm .
Si qua fides monitis vatum , tu ſanguine fuſo
Polluti quondam purgabis crimina mundi .

Zam. Fortunate puer , tenues quem lucis in auras
Fudit pura parens , & puro nectare pavit .

Azar. Fortunati ambo , quorum ſe legibus Orbis
Inclinat , magnuſque olim parebit Olympus .

Zam. At magnus quamquam vobis parebit Olympus,
Has laudes , noſtri ne ſpernite pignus amoris .

Azar.

Azar. Quod ſi, Virgo, tuum non eſt audacia numen
Orare, oramus te per, tua gaudia, natum.
Zam. Perque ſinus illos, quibus arcte ſe implicat infans,
Involvitque, tui, mater, ſecurus amoris.
Azar. Te per & illa tuo, quæ preſſas ubera nato,
Quæ preſſas nato cœleſtibus ubera palmis.
Zam. Per dulces pueri riſus, per dulcia verba,
Verba inter blandæ, quæ frangit, murmura linguæ;
Azar. Per quidquid dulci in puero tibi dulce futurum eſt.
Da facilem, inquirit ſi noſtra in crimina, natum.
Zam. Et quamvis regem cœli alta palatia natum,
Quamvis reginam te, Virgo, ſidera ſperent,
Ut noſtri memorant vates, & credere juſtum eſt;
Teque, tuumque, feras ſi noſtra hæc munera, natum
Semper flore novo, ſemper venerabimur aris.

ECLOGA XII.

IN VIRGINIS OBITUM.

SUSPIRIA.

Deplorant Virginis mortem Paſtores.

FLebat depoſito ſub vomere triſtis arator
Extinctam fatis, & iniquo funere raptam
Pharthenidem, patrii fuerat quæ gloria ruris:
Flebat turbato ſtupefactus paſtor ovili,
Flebant agricolæ, flebant armenta; neque ullum
Solamen mœſti agricolæ, aut armenta ferebant.
Sed magis ante alios puer Alcimus & puer Ammon,
Quos bona formabat Virgo, & divina docebat,
Flebant; dum Lyſias prima ſub luce ferebat
In calatho tritos patriæ felicis odores,
Extremum munus tumulo, & ſuprema parabat.
Dumque ipſo tumuli ſub limine fuſus, & amens

Alci-

Alcimus hærebat lacrymans, Nymphamque vocabat.
Verum ubi compreſſit ſuſpiria prima doloris,
Rupibus hæc mœrens Ammon jactabat, & auris.
Poſtquam crudelis rigida inclementia fati
Te rapuit, rerum longe o pulcherrima Virgo,
Quid faciam? Tu diva tuo nos funere perdis.
Tu patrii affatu mala jurgia ruris amico
Sedabas, tu rebus eras ſolamen acerbis.
Vidi ſæpe meos, dum me divina monebas,
Herbarum immemores tauros hæſiſſe, nec auſos,
Virgo, tuas ullo mugitu rumpere voces.
Te ſaxa, & fontes, te conigeræ cypariſſi,
Te valles, monteſque feri obſtupuere loquentem.
Fulmina nigranti ſi quando e nube ruberent,
Accenſa in noſtras ſegetes, ſuſpenſa tenebas,
Tollebaſque metum; quin noſtris ſæpe ſolebas
Vel dare, vel nimios avertere meſſibus imbres.
Parthenis & vitæ jam non mortalis amorem
Inſtituit, gentemque ſuam compeſcere juſſit
Spes inconceſſas, & inania ponere vota.
Pharthenis & duros cultu formabat agreſtes,
Et placare graves offenſi numinis iras
Monſtrabat, moreſque novos, nova ſacra docebat;
Addebatque animum dictis, cum læta piorum
Præmia pendebat memorans, pœnaſque nocentum.
Nunc autem, Virgo, quid poſt tua funera ſperem
Perditus? an durem inviſæ faſtidia lucis?
Quin potius longe abſiſto, indulgenſque dolori
Collem in ſecretum, & nemora in deſerta recedo,
Hic ubi ſilvarum ſeceſſus inter opacos,
Æternum mœrens, & lucis abditus atris,
Poſſim perpetuis conſumere fletibus ævum.
Plantabo umbroſum nigranti ex ilice lucum,
Et luco in medio pallenti e fronde cupreſſum,
Quam juxta tumulum viridi de ceſpite ponam,
Mœſtus ubi, ducenſque imo ſuſpiria corde,

Avia

Avia ſæpe meis implebo ſaxa querelis.
Vos mihi vos eritis teſtes, o ſaxa, meique
Lucus hic, ingentem cum late fecerit umbram,
Venturis olim paſtoribus, arbore opaca,
Corticeqne inſcripto, monſtrabit ſigna doloris.
Jamque mihi videor ſaltus errare per altos
Solus, & ingenti jam ſilvas rumpere planctu.
Lamenta, & ſilvæ jam ſunt medicina dolori.
Sed quid ego hæc? nec erunt ſilvæ medicina dolori;
Nec lamenta, ipſæ rurſum concedite ſilvæ,
Concedant lamenta, dolor non talia curat.
His Ammon lacrymis: his Alcimus ora rigabat.
Nam quis te caſus pertæſam denique lucis
Eripuitque tuis, & acerbo funere merſit?
An tibi nequidquam eſt natus, cui pareat æther?
Hoc erat, extinctæ quod nuper ad ubera matris
Tantum balaret noſtris ab ovilibus agnus:
Perculſuſque bovum crebris mugitibus amnis
Plangeret, & planctu ripæ, rupeſque ſonarent:
Ipſe aderam, ſed me ignarum mens læva tenebat.
Ipſi etiam, ut perhibent, noſtris in montibus urſi,
Immanes urſi, ipſi etiam flevere leones.
Infelix Ammon! quid jam ſuſpiria perdis?
Quidve paras? poſtquam te, Partheni, triſtia ſaxa,
Poſtquam te flerunt deſerta per avia valles.
Partheni te Libanus, te, Partheni, pinifer Hermon
Flevit, & e ſummo plorarunt vertice pinus.
Flevere & cedri immanes, flevere cupreſſi.
Quin Sol triſtitiam cœlo teſtatus ab alto
Hæſit, & attonito conſiſtere viſus Olympo.
Verum etiam fama eſt viſas per confraga cautes
Scindere ſe, atque ſui, ut poterant, dare ſigna doloris.
Temporeque ex illo, paſtus oblita, ſub ipſo
Gramine plorat ovis; ſilvaſque averſus, & amnes
Mœret jejunus plena ad præſepia taurus.
Et tua, Virgo, ipſæ ſenſerunt funera nubes,

Sen-

Senſit & ipſe aër gregibus non æquus, & omnis
Undarum qui purus erat, nunc turbidus humor.
Sed quibus aut Virgo non eſt plorata ſub antris?
Aut qui non montes tantum doluere dolorem?
Hæc pueri: Atpoſtquam Lyſias effudit odores
In tumulum, multoque locum veneratus honore eſt;
Mecum, ait, o ſocii, tumulo date thura, nec iſto
Lætitiam fletu feſtæ turbate diei:
Parthenis in cœlo, poſt triſtia fata ſuperſtes,
Nil jam lucis egens cœleſti veſcitur aura.
Illi ſpe tanta fletus tenuere, neque ultra
Vel ſua damna, ſuæ vel queſti funera Nymphæ.
Una animo jam cura, locum decorare ſupremis
Muneribus, feſtoque diem celebrare triumpho.

E C L O G A XIII.

IN VIRGINEM ASSUMPTAM.

Apotheosis.

Virginis triumphus celebratur a paſtoribus.

PArthenidem faciles Lunas, Soleſque ſerenos
Orate agricolæ, nam Parthenis imperat aſtris.
Hanc ego, cum mollem tondebam ſerus acanthum,
Cæruleo vectam vidi ſuper æthera curru.
Carmina quæ ſummo reſpectans lætus Olympo
Cantabat Jonathas paſtoribus; omnis at illum
Paſtorum turba hortatur, quæ gaudia portet,
Effari, viſaque ſuper quid Virgine pandat.
Tum ſociis Jonathas ſua porro viſa renarrat.
Dicit uti Superos Virgo ſuperaverit orbes,
Quo curſu ſuper aſtra, quibus volitaverit alis.
Exin uti rutilo texti ceu Solis amictu,
Candenti lunæ impoſitam, per cærula cœli
Enavit, ſummoque volans ſucceſſit Olympo.

Unde obitus varios aſtrorum cernit, & ortus;
Sub pedibuſque omnes ſuperos, ſupera alta tenentes
Et videt, & magni miratur limen Olympi.
Deinde aperit quam ſpem patriis paſtoribus, & quam
Agricolis rerum faciat jam maxima Nympha.
Poſtquam illam cœli, tempeſtatumque potentem
Eſſe dedit, ſummoque Deus præfecit Olympo.
Voſque, ait, o quibus eſt telluris cura colendæ,
Ne poſthac ſignorum obitus ſpectate, vel ortus,
Candida erit vobis, omni pro ſidere, Virgo;
Sidere quo gleba ſeges ubere gaudeat, & quo
Incurvet ſeſe ramis felicibus arbos.
Exercete ſolum agricolæ, date ſemina ſulcis,
Tempus humum ſerere, & curvis inſiſtere aratris.
Morem ſideribus dum Virgo imponit, & auris.
Vos neque jam vanis, credo, fruſtrabit ariſtis
Expectata ſeges, ſegeti neque noxius imber
Officiet, ſterilem nec deſeret humor arenam.
Major erit preſſi, ſub Virgine, copia lactis,
Largior undabit pleno vindemia prælo,
Duraque miteſcent ſuccus oblita priores
Poma, nec arboribus venti, ſegetique nocebunt.
Sed quo larga magis ſpumet vindemia prælo,
Quo plus ſe ramis curvet felicibus arbos,
Quo plus vel pecoris, vel copia lactis abundet,
Nympha, tuæ donis fument majoribus aræ.
Namque tibi, poſtquam cœli te magna recepit
Regia, dona tibi, Virgo, debemus, & aras.
Olim tempus erit, quando te maximus orbis
Accipiet dominam rerum, populique per orbem
Inſtituent tibi centum aras, centum ardua templa,
Et templa, atque aras candenti e marmore ponent.
Nos autem myrtos, quod poſſumus, o bona Virgo,
Virgo, tibi myrtos totis plantabimus agris.
Hic ubi paſtorum chorus, & vicinia ruris
Dona ferat, ſupplexque tuos tibi dicat honores.

Hæc

Hæc prata, hos ſontes, hæc, Partheni, rura co-
lebas:
Atque hæc prata tibi, hi ſontes, hæc rura placebant.
At quando natum, Virgo, non vana precaris,
Sublimi e ſolio, & cæli e regione ſerena,
Reſpice nos facilis, da limina tangere divûm.
Nam, memini, nos id quondam ſperare jubebas.
Interea largo proventu plenior annus
Contingat, veniatque ſuo ſeges ampla colono.
Da gleba agricolis felices ubere campos,
Paſcua da gregibus, pingues da matribus agnos.
Et quæ tuta dabas paſtoribus otia, ſerva.
Noſque tuum, ſuperent nobis modo carmina, nomen
In cœlum cantu aſſiduo ſublime feremus,
Ad fontem, cum meſſis erit, cum frigus, ad ignem.
Hæc Jonathas eadem paſtores omnia læti
Dum repetunt, tumulo frondes, & florea ſerta
Imponunt, viridemque comam frondentis acanthi,
Et caſiam, & violas, & ſuave rubentem hyacin-
thum.
Omnibus, in manibus palmæ, omnes carmina læti
Sacra canunt, plexis & inumbrant ora coronis.
Quin & ſolemni pro religione parentum,
Ad tumulum totos ducunt ſeptem otia Soles
Immunes operum: non his vel aratra diebus
Impreſſere ſolo tauri, vel plauſtra tulere.
Interea totis paſtorum factus ab agris
Ingens concurſus tumulo, quos fama vocarat.
Et primi venere, tuas qui, Gabatha, valles;
Quique tuas, Betſura, colunt; quos buxifer Hebron;
Quos Heſebon, rigido quos vertice paſcit Arimna:
Tum qui Betlemios ſervant armenta per agros,
Felices herbis, felices frugibus agros;
Venit & ingentes portans pro munere myrtos
Turba frequens juvenum, quæ Galgala ſumma co-
lebat,

Gal-

Galgala myrtetis lætiſſima ; venit & omnis
Qui Libanum circa montem , & declivia montis
Paſtor agit dulces ad gramina nota capellas ,
Ver ubi perpetuum , ſemperque virentia prata :
Et ſua dona omnes , ut cuique eſt copia , portant ,
Unde ornent tumulum Nymphæ , nec dicere laudes
Egregias ceſſant , nec laudibus addere grates ,
Lætitiæ iſtius memores , cœloque receptæ
Parthenidis feſtum gratati rite triumphum .

ECLOGÆ VARIÆ.

ECLOGA I.

RIVI.

THYRSIS. TITYRUS.

Thyſr. Tityre quid ceſſas? juvat ire, & mollibus auras
Cantando mulcere modis, dum candida ſpirat
Tam puro ſub Sole dies, nos dulcia rura,
Nos habeant colles, juvat ire, & quærere fontes.
Tit. Haud procul hinc, ſincerus aquæ ſe murmure rauco
Fons agit, humenti Nympham ſub rupe latentem
Flere putes, molleſque oculis evolvere guttas.
Tum varia expreſſæ ſe per divortia guttæ
Agglomerant, qua rupit iter per cæca viarum
Spiramenta latex, collectus cogitur humor
Rupe ſub exeſa, rivumque orditur: at ille
In vallem elapſus, fugienti vortice fertur
Avius, invitaque fugam molitur arena.
Sæpe illum Dryades, ſæpe illum e gramine Nymphas;
Affines fonti Nymphas, dum ſiſtere tentant,
His perhibent fruſtra profugum invitaſſe querelis.
Rivule, quo properas? celeres quo, currere pronus,
Moliris fugitivus aquas? ut inhoſpita præter
Arva fluas, indigna tuis erroribus arva.
Nec patrii te fontis amor, maternaque rupes,
Non natale ſolum, non te, quæ plurima circum
Litus habet cognata Dryas, non limen avitum,
Non ipſi te te profugum tenuere penates.
Quid matrem fugis? Heu matrem, quæ carcere rupto
Te primum tenues dedit ire in luminis auras,
Perque ſuos reptare ſinus, & rupe ſub ima
Creſcere; naſcentem te ſuſcepiſſe ſorores

Naiadas, & molli circum cunabula muſco
Induxiſſe ferunt; thalamos prætexuit arbos
Plurima, & æſtivos fregere umbracula Soles.
Quis præceps erroris amor? Quæ tanta voluptas
Et fugere, & curſu fluctus laſſare perenni?
Eja agite, objecti vinclis retinere fugacem,
O lapides: ſe denſa fugæ interponat arena.
Ille autem offenſas irata aſpergine cautes
Increpat obnixus, fundoque alliſus iniquo
Captivos querulo ſuſpirat murmure fluctus.
Nec tantæ profugum illecebræ, nec blanda rebellem
Vincla tenent: qua forma loci declivior, illac
Præcipitat, jamque imbelles aſſurgere in iras
Audet, & exiguo jam ſaxa laceſſere pulſu;
Jam ripæ intentare minas, & litora circum
Nequicquam obſtrepere, & ſpumis aſpergere truncos.
Conſita nec fontem propter ſaliceta, nec udum
Jam curat nemus, aut frondenti frigus ab ulmo.
Hærere impatiens fugit, indociliſque teneri.
Thyr. Tityre amas rivos, rivos tibi, Tityre, dicam.
Mons ubi vicinas nutu clemente ſupinus
Inclinat ſeſe in valles, argenteus humor
Liquitur, & curſum in bibula molitur arena.
Pauper aquæ rivus, quem rupes arida nudas
Effuſum in filices ægre connixa profudit.
Illum adeo undarum tenuem ſub luminis auras
Ire pudet, timidoſque facit penuria fluctus.
At quando dulces enixa rupe ſub auras
Ire datum eſt, urgentque viam declivia montis,
Ille vado illiſus, per ſaxa, per obvia quæque
Hærendo ſe inopem excuſat; vix vallis euntem
Incitat, aut pronis momenta liquoribus addit.
Si lapis, aut lapſus pendenti ex arbore ramus
Obiicitur, molles ſi radix herbida fibras
Egerit, aut fundo ſi calculus hæſerit imo,
Ille moras circum geſtit trepidantibus undis

Et trahere, & varios ultro ſibi tendere nexus.
Exin furtivos ſe per devoluere calles,
Multiplicesque iterum reditus, certasque viarum
Ordiri ambages, inopes prætendère fluctus
Errore, atque mora: tum ſicubi forte per herbam
Pallet egens animæ muſcus, ſe gramen in imum
Multifido inſinuat lapſu, juvat usque morari,
Atque ſub obſcuris conſumere cautibus ævum.
Sæpe illum Dryades, ſæpe illum e pumice Nymphas,
Affines vallis Nymphas, dum cogere tentant,
His perhibent fruſtra torpentem egiſſe querelis.
Rivule, quid tardos lento trahis agmine fluctus,
Et labi pene immemores? ut iniqua ſecundum
Saxa, heu! abſumas pretioſam inglorius undam.
Quin age ſiqua tuos incendit gloria fluctus,
Rumpe moras, latices rapidis molire fluentis,
Olim aliquod (ſi fata ſinant) in nomen ituros.
Quid ceſſas? jejunus ager, ſubjectaque monti
Te circum ſuſpirat humus: fruticeta liquores
Optavere tuos, ipſi te, Rivule, flores,
Ipſæ te quercus, ipſæ optavere myricæ.
O tibi, ſi patriis ſervitum floribus ires
Largus aquæ, quæ non ſilveſtres munera Nymphæ;
Quæ non vicini paſtores ſerta pararent?
Tu glaucas inter ſalices, tu florea præter
Gramina felici flueres puriſſimus unda;
Et collisa tuo garritu ſaxa ſonarent.
Languida tu riguo recreares intyba potu,
Sicca tibi fronderet humus, tibi tortus in herba
Creſceret immenſum cucumis, tibi pruna ferentes
Florerent ſpini, tibi late rura virerent.
Sæpe tuam molli ad ripam ſecurus in umbra
Luderet, & tenui pecudes mulceret avena
Tityrus, aut aliquis paſtorum e gente Menalcas;
Ipſa tuos potum ad fluctus armenta venirent:
Et formoſus oves ageret per gramen Adonis.

Balarent gregibus ripæ, mugiret anhela
Vallis, & agreſti reſonaret arundine pratum:
Ille autem nihilo ſeſe movet ocius, undam
Uſque tenet timidus fluere, oblituſque moveri,
Obſcuræ ſeu pacis amans, ſeu fontis egenus.
Sed quid ego hæc autem tibi non ignota revolvo?
Tit. Hoc mihi longævus quamvis narraſſet Amyntas;
Carmine tu puro melior tamen, omnia reddis
Dicendo potiora, tuus licet indigus undæ
Plus placuit rivus, quam noſter fontis abundans.
Thyr. Me quoque me faciles Muſæ facere poëtam,
Atque, fatebor enim, ſi carmina forte negaſſent,
Non tuus hic Thyrſis, non ipſe maneret Amyntas.
Tit. Quis caneret Nymphas? nemori quis diceret udo
Affuſos latices? quo carmine noſtra ſonarent
Paſcua? quis premeret calamos, ſi Thyrſis abeſſet?

ECLOGA II.

DAPHNIS, SIVE PASTOR AMANS

Scientiæ Divinæ.

DAphnis amor muſarum, & agreſtibus unica Nymphis
Gloria, paſtorum Daphnis leniſſimus unus
Qui fuit, ingenuas longum informatus ad artes,
Fertur, ubi denſa nigrum nemus ilice frondet,
Anxius iſſe animi, & vepres penetraſſe ſub altos
Avius, ac ſola demum sediſſe ſub ulmo,
Hiſque afflictus humi Phœbum impleviſſe querelis.
Phœbe pater, quid me ſacrati ad limina templi
Pertentantem aditus, & carmina pura ferentem
Reiicis, atque tuis longe a penetralibus arces?
Spes erat, ut pariter vates, pariterque ſacerdos
Per tua templa irem, premeremque altaria donis,
Et noſtro divina domus fumaret odore.

Hoc

Hoc ſæpe aſtra mihi, ſi mens non vana fuiſſet,
Hoc mihi paſtores prædicere ſæpe ſolebant,
Dum ſua me quondam ſperare arcana jubebat
Uranis, atque ægra perfixum mente tenebat.
Illi ſæpe meos mea fiſtula dixit amores,
Mollia dum ſimæ tondent arbuſta capellæ.
Ipſa autem votis animos faciebat, & ægro
Dum curæ ſenſim ingeminant ſub corde, ſinebat
Uranis, atque meos ipſa incendebat amores.
Nec mihi nec quiſquam Uranidem perſuaſerit author
Duram adeo, quondam ipſa ſuos ut ſpernat amantes:
Nam quoſdam vidi poſt tempora certa repulſos,
Vidi pendentes in limine: ſed ſua cuique
Fortuna immitis; nulli non Uranis æqua.
Speſque adeo jam me non vana tenebat habendæ
Uranidis, quid non miſeri ſperemus amantes?
Cum me, Phœbe, tuo pendentem in limine differs,
Producisque meos in longum tempus amores.
Paſtoreſque alios ſtridenti nuper avena
Quos vidi miſerum per agros diſperdere carmen,
Atque rudes, ſinerent Muſæ, tentare cicutas,
Paſtores, tu Phœbe, alios in templa receptos
Divinæ Uranidis myſteria ſacra docebas.
His Lycidam informas ſtudiis, his imbuis Ægin,
Ambo rudes, nullis ſpectatos dotibus ambo.
Et me Caſtalio dudum jam nectare paſtum,
Poſtque tot exactos obſcuro in pulvere ſoles,
Et pene exhauſtam per paſcua ſola juventam,
Me templi ex aditu prohibes, longeque repellis.
Quod ſum animi ſimplex, inconſultuſque favoris,
Neglectus tibi ſum, nec qui ſim quæris Apollo,
Quam felix ovium, pecori quam navus alendo.
Ah! quoties multa ingratam cum ſedulus arte
Terram exercerem, & ſteriles male pinguis arenæ
Verſarem cumulos, quoties me vidit anhelo
Victum æſtu, & ſolis maleſano ardore peruſtum

Nympharum chorus, & ſortem miſeratus acerbam eſt?
Vos teſtes Muſæ, teſtes vos paſcua Muſis.
At mihi quid porro ſtudium telluris arandæ,
Paſcendi quid cura gregis, quid profuit uſus?
Et fruſtra cœpti per paſcua longa labores?
Si divina tuum celas myſteria vatem.
O! mihi ſperatæ ſi fors arcana paterent
Uranidis, nec, Phœbe, tui me limine templi
Cætera rideret paſtorum turba repulſum.
Ipſe caput plexæ foliis amplexus olivæ
Sacra darem, templumque tibi molirer, & aram.
Tum divæ Uranidis ſperato munere lætus,
Cernerem uti noſtros ſummum ſe numen in artus
Miſcuerit, geminæ commercia ſacra viderem
Naturæ, quæ vincla ligent compage perenni,
Quidquid in ambobus diſpar fortuna diremit.
Hæc noſſem, quamquam, o! norint, quibus ipſe dediſti.
Audiat hæc Lycidas ſimus licet, audiat Ægis,
Ægis inops animi, ſtudiorum inglorius Ægis.
Muneribuſque tui faciles lætentur amoris.
Ipſe autem in ſilvis, trans flumina, tranſque reductos
Parnaſſi colles, ſolus per rura vagabor,
Mente coquens ægra curas, aut valle profunda,
Sordidus imbre genas, duri faſtidia Phœbi
Plorabo, ſaxiſque meos narrabo dolores.
Fors planctu pulſata meo vel ſaxa loquentur,
Paſtorem Daphnim quantum faſtidit Apollo.
Hæc flebat Daphnis, nec quid jam poſſet, habebat.
Non liquidi fontes, non antra virentia muſco,
Non ruris, non urbis amor, non cura peculi
Præterea, nec erant cantus, nec carmina cordi;
Tantum inter denſas corylos, ſilvamque ſub altam
Æternùm fugiebat; ibi faſtidia Phœbi
Fontibus, & ſaxis planctu jactabat inani.

ECLO-

ECLOGA III.

CONSOLATIO AD DAPHNIM.

URANIS,

Sive Paſtor in Urbem vocatus.

VEnerat autumnus pomis jam lætus, & uvis,
Ex quo animum Daphnis curâ carpebat, & alto
Mentis inops cæcum verſabat corde dolorem.
Nec Daphnim lætus pomis autumnus, & uvis
Lenierat; dum ſpes avidi ſeges implet avaras
Agricolæ, dum poma rubent, & præla redundant.
Fruſtratos mœſtus Daphnis lugebat amores;
Uranidemque amens per devia rura vocabat.
Namque hærere domi, & patrios tolerare penates,
Aut lucem, ſociosque pati non cura ſinebat.
Umbræ illi nemorum cordi, rivique fugaces,
Abruptæque jugis, deſerta per avia, valles.
Hunc ſæpe oblitum ſeræ decedere nocti
Sol abiens vidit plorantem, vidit eundem
Sol rediens longos ducentem pectore queſtus.
At vatis, Tymbræe, tui te deinde miſertum eſt.
Namque ut nigranti (ſic ſueverat ille) ſub ulmo
Phœbum multa rogans, ſera jam nocte jaceret;
Ecce olli pura pendens è nube videndam
Se dedit imperio Phœbi delapſa per auras
Uranis, & verbis ſic mœſtum affatur amicis.
Daphni, quid indignos ægro ſub pectore queſtus
In longum trahis? & duri faſtidia Phœbi
Cauſando incuſas? nec te faſtidit Apollo,
Nec tibi præ quemquam poſuit, ſprevitque labores.
Sed modo jam de ſe meritum bene mittit in urbem,
Urbem illam dominam mundi, Muſiſque frequentem;
Ut famæ curru impoſitum te deinde per orbem

Differat, atque ſuis ſpectatum reddat alumnis;
Tum nec ſubducti deſerto in tramite colles,
Præterea, nec jam ſilvæ, & loca ſola placebunt.
  Namque Pariſiacæ ſpecies cum te ampla tenebit
Urbis; & effuſum paſſim mirabere vulgus,
Magnificaſque domos, atque alta palatia regum,
Perque vias ſonituſque virûm, ſtrepituſque rotarum,
Atque frequentatas ſtudiis popularibus artes;
Tum triſtes prudens rerum aſpernabere ſilvas.
Hic ſeu te obliquo ſub litore glaucus habebit
Sequana, ſeu pictos ſub flumine nare phaſelos
Videris, aut volucres ad ripam ludere currus:
Credo equidem tum nulla animo ſuſpiria duces.
Mox ubi forte vagam vagus ipſe inceſſeris nrbem,
Quam varios varia objicient ſpectacula motus?
Seu pontis qua curva novi ſe machina tollit,
Magnanimum Henricum ingenti exultare coloſſo,
Seu forte effuſos Nympha Samaritide fluctus
Aſpicias, atque undantem per compita turbam;
Seu tibi parte alia Lnparæ tecta alta ſuperbum
Oſtendant latus, atque domum prætenta per amplam
Porticus affuſo præter ſe porrigat amni;
Sive forum, ſeu magna ſacri delubra Senatus,
Atque Pariſiacæ ſpectacula ſingula pompæ;
Non te jam forſan pecoris, ruriſque relicti
Tædebit, nec difficilis faſtidia Phœbi
Montibus, & ſilvis planctu narrabis inani.
Poſtquam te noſtro Muſæ ſub monte poëtam
Sacrarint: quo monte magis ſe jactat Apollo,
Quam vel Parnaſſi, vel agreſtis vertice Pindi.
  Hic tu forti animo, nec inerti numine dices
Franciadum pugnas, transmiſſaque lilia Belgis,
Et triſtes curas bellantum, & grandia cœpta
Monte ſuper noſtro referes, ubi pace ſub alta,
Vatibus, & Muſis hæc otia fecit Apollo.
Tum narrabis, uti poſitis ceſſabit ab armis

Fra-

Fractus Iber; mox ut totum ſperata per orbem
Pax ibit, feſto paſtores carmine pacem,
Pacem ipſi agricolæ, pacem omnis ruſtica pubes
Sæpe inclamatam, turba gaudente, per aras
Supplicibus votis, & ſalſo farre piabunt.
Hic etiam quæcumque vago rumore feruntur,
Accipies. Quo caſtra loco nunc ponat Iberus?
Quid rerum jam Belgæ agitent? Quò litore claſſis
Franca hyemem duret; Quæ ſit fortuna Sueco?
Quod Marti ſit fatum Italo? Quibus horrida bella;
Inter Hyperboreas glacies, ſeptemque triones
Sarmata agat ſtudiis, toto ut pugnetur in orbe.
Nec tibi ſi ſilvæ placeant, campique virentes,
Deſuerint, ſi viſum, ibis ſæpe inter amœnos
Umbrarum tractus, aut qua ſe plurima tellus
Induit in flores, & cœlo gaudet aperto.
Non pictæ florum facies, cantuſque volucrum
Proinde aberunt, valleſque cavæ, colleſque ſupini:
Hic virides lucos, & opacum frigus ab umbra
Captabis, pecorique tuo ſolatia, puros
Monſtrabis fontes, & amicos vatibus amnes.
Ipſæ autem nullo contractus corda dolore,
Muſcoſi caput ad fontis projectus, & herba
Effultus molli, libabis gaudia ruris;
Liber ubi curarum, ulmi frondentis ad umbram
Ingratos poteris cantando condere Soles.
Tum tibi Bellaqueum ſi fors inviſere fontem,
Sive Ruellæam vicino in rure Napæam
Contingat, variiſque inſignes floribus hortos;
Fallor! Apollineum ni jam gratabere munus.
Hæc eadem ut poſſet, quid non feciſſet Alexis?
Hæc ſunt, quæ noſtra voluit te vocem monendum
Tymbræus pater. Ergo animis ſpem præcipe certam:
Nam te Muſæ omnes myſteria noſtra docebunt.
Dixit, & afflictum Daphnim ſolata reliquit.

ECLOGA IV.

ALPHONSUS.

Nobilis adoleſcentis olim alumni ſui prœmaturum obitum deplorat Poeta.

Extinctum dulcis primo ſub flore juventæ
Alphonſum, magno fuerat qui carus Jülo,
Julius Alphonſo ſumme dilectus, & Almon,
Ambo Paſtores, annis florentibus ambo,
Montibus in patriis, alterno carmine, flebant.
Primus ubi gemitus ægro ſub corde repreſſit,
Rupibus hæc mœrens Almon jactabat, & auris.
Quo ferar? Aut quæ me accipiant ſecreta vagantem
Antra, quibus juſti cauſam narrabo doloris?
Nam poſtquam rigidi dura inclementia fati
Eripuit noſtri Alphonſum ſolatia ruris,
Deſperem, quid enim miſero mihi denique reſtet?
Ille meos habuit, fuerat qui dignus, amores.
Illi, quod poteram, dum viveret, aurea mala,
Aurea mala mei longe lectiſſima ruris
Donaram, puero Lycidas donata dolebat:
Et ſibi quamquam eadem donari mala rogaret,
Non tulit Alcinoë, poterat quæ digna videri.
Solus erat, noſtra Alphonſus cui dona parabam.
Ah! puer alme, tuo nos, ruraque funere perdis.
Triſte ſatis præceps effuſa grandine nimbus,
Triſte roſis urens Boreas, triſte imber ariſtis,
Tempeſtas ratibus, noſtro tua funera ruri.
Ipſe tuo nuper pendebam lætus ab ore,
Cum mihi Romani laudabas paſcua ruris,
Et pingues Tyberis ripas, campique Faliſci
Felices herbas, & dulcem Tiburis umbram;
Unde olim Auſonii primum venere coloni,
Et Remus, & Frater, campis aſſueta juventus,

Paſto-

Paſtores quondam, ut fama eſt, oviumque magiſtri.
Sed quid ego hæc iterum, nunc tantum ingrata revolvo?
Quin potius, nemorum ſeceſſus inter opacos,
Solus amem longis conſumere fletibus ævum?
Forte meo vel erunt lacrymæ medicina dolori.
Ante tamen myrtum, & ferrugineos hyacinthos,
Et caſiam, & violas, & candida lilia carpam,
Et cineres, Alphonſe, tuos ornabo ſupremis
Muneribus, ſpargenſque roſas altaria circum,
Plorabo, & tenui plorans cum murmure dicam:
Floribus his, ſuprema tibi jam munera ſolvo.
His Almon lacrymis; his Julius ora rigabat.
Nam quid ego inviſæ durem faſtidia lucis?
Poſtquam crudeles Superi, crudelia fata
Alphonſum rapuere; mori me denique cogis,
Nuper eras, qui vita, mei nunc cauſa doloris.
Rumpite Paſtores calamos, date carmina ventis,
Alphonſus periit, non fert jam carmina tempus:
Ille dabat calamis animos, cantuſque movebat;
Illi & erant calami, & cantus, & carmina curæ.
Vidi ego, cœleſti quos nectare nuper alebant
Pierides, Clarii ſub vertice montis, olores
Et gemere, & niveo plumas avellere dorſo.
Turbatiſque ferunt erraſſe per avia caſtris
Rupis apes Clariæ, ſacro quæ melle beatos
Sæpius Aoniis vates pavere ſub antris.
Nam Muſis ut apes, Muſis ut amantur olores,
Te, Mancine, & apes, & amarunt te quoque olores.
Et tua Pan magnus, Franci Pan arbiter orbis,
Et fidus Pani tua funera ſenſit Jülus.
Senſerunt Nymphæ, ſenſerunt maxima divum
Numina, quæ magni Panis delubra frequentant.
Illum, & deſertis flevit ſub rupibus Echo,
Fleverunt mœſti montes, & murmure rauco
Narravere ſuos offenſa ad ſaxa dolores.

Fleviſtis Zephyri, & ſingultibus interruptis
Muſarnm extinctos ſuſpiraviſtis amores.
Ah miſerande Puer! Poſtquam te fata tulerunt,
Tantum per ſilvas, & per deſerta locorum
Ibo: meis fontes lacrymis, & flumina creſcent.
Alphonſum fontes, Alphonſum flumina flebunt.
At Lycidas, puero qui tum ſuprema parabat,
Mecum ait, o pueri, date thura, & ſpargine flores
Alphonſo: Alphonſus fieri ſibi talia mandat.
Hunc volucri raptum vidi ſuper æthera curru.
Veſper erat, cœloque rubens jam Luna ſereno
Undique noctivagos ſtellarum accenderat ignes;
Cum tenuem, valle ex ima, ſe tollere fumum
Aſpexi, & longo per cœlum albeſcere tractu.
Expectabam animi dubius, quid ſigna ferebant.
Nec mora, ſidereus pictis exercitus alis,
Cœleſtes forma pueri toto æthere viſi,
Impoſiti Zephyris liquidas volitare per auras,
Et mirnm in morem lato proludere cælo.
Tum cœtu in medio Alphonſum ſuper aſtra volantem
Vidimus inſignem radiis, & luce coruſcum.
Alphonſum interea nubes, auræque ſonabant,
Alphonſum magno reſonabat murmure cœlum.
Ipſe autem cœlo reſpectans lætus Amyntas,
Exclamat: Superi nunc ò! nunc viſa ſecundent
Præſentes, tanto, poſt fata, ſit omine felix
Alphonſus, cœloque bonus nos ſpectet ab alto,
Morem ſideribus ſi quando imponat, & aſtris.
Credita res lætis Paſtoribus: illa per agros
Fama volat; totis paſtorum carmina ſilvis
Certatim Alphonſum celebrant ad ſidera raptum.

CA-

CAROLI NOCETI

E SOCIETATE JESU

ECLOGÆ TRES.

ECLOGA I.

EUPOLUS, THELGON, PISCATORES.

Friderici Regii, atque Electoralis Saxoniæ Principis in Patriam reditum alter precatur, alter timet.

FORTE ubi tyrrenisNeptuni portus ab undis
Effugit, & puppes tuta ſtatione recondit,
Daphnis amor Dryadum deſcenderat: inclyta regum
Progenies, & cura Deum juſtiſſima Daphnis;
Quem Dorilas Pater Albino de litore nuper
Miſerat ad Tybrim, latiæ ſpectacula pompæ
Viſere, vel potius latios renovare triumphos.
Huc quoque regalem Juvenis mirata decorem
Piſcatorum ingens venit manus: Eupolus alta
Tybridis e ripa: Thelgon glacialibus oris:
Ambo apti calamis, apti piſcatibus ambo.
Atque hi dum natos non uno e fonte timores
Pellere conantur; dum cantu effundere queſtus
Quiſque ſuos cupit; alternis cæpere cicutis
Protinus hoc Thelgon, hoc Eupolus ordine carmen
Th. Nereides gelidi nymphæ maris: aut mihi veſtro
Rurſus ab urbe domum revocetur numine Daphnis:
Aut ſi tanta Deum nulli permiſſa poteſtas,
Sutilis in ſicca tabeſcet pinus arena.
Eup. Tybri pater, flavoque Deæ quæ luditis amne
Najades; in veſtro formoſum littore Daphnin
Aut proprium retinete: aut ſi iſtas liquerit undas,
En uro hic cymbam, & curvos cum retibus hamos.
Th. Qualis fraterno ridens ſub ſidere pontus,
Quum freta detumuere, & fluctibus incubat altis

Tuta quies, nullique agitant vada fervida cori;
Talis ego in noſtra dum luderet ille carina.
Eup. Aſpicis ut ventis reſonet furialibus æquor?
Jam pelago furit unda: tonat jam regia cœli
Deſuper: & trepido litus fremit omne tumultu.
Talis ego, hinc alias abeat ſi Daphnis in oras.
Th. Saxa dabant muſcum; pendentes oſtrea rupes;
Rhombus fallaces ultro occurrebat in eſcas.
Omnia defecere ſimul: nunc æquore in ipſo
Aſpicies ſiccas diſceſſu Daphnidis algas.
Eup. Jam nec honor muſis; nec erat ſua gloria lauro:
Parcior & vatum venis fervebat Apollo.
Daphnidis adventu rediit calor omnis: & ipſæ
Dulcius Arcadiæ modulantur carmen avenæ.
Th. Triſte notus pelago: conchæ ſalſa unda patenti
Fuſa ſuper: cymbis currentibus æſtus arenæ.
Diſceſſus mihi, Daphni, tuus. Liventibus herbis,
Et mihi cœrulea diſceſſus amarior unda.
Eup. Dulce vadis Zephirus; medicatæ piſcibus offæ;
Œbalii fratres nautis; ſua flamina puppi.
Adventus mihi, Daphni, tuus: beneolentis Hymetti
Floribus, & tota adventus mihi dulcior Hybla.
Th. Sunt bis quinque (mihi namque hæc referebat Amyntas,)
Inſulæ Oceano in magno felicibus oris.
Littora, ſed rurſus Daphnis, ſi ad noſtra redibit;
Quis mihi felices inquirere ſuadeat oras?
Eup. Eridanus ripa; fundo celebratus Enipeus;
Lata Rhenus aqua; Pactolus fluctibus aureis.
Tybris habet Daphnin; Daphnin dum Tybris habebit,
Non mihi ſe flavis jactet Pactolus arenis.
Th. Regna Pater ſervat: curarum in pondere tanto

Pul-

Pulchra Patrem relevat Mater ; ſua pignora Matrem.
At ſi aberis tu, Daphni, Patrem nec regia Mater,
Nec poterunt mœſtam Fratres relevare Parentem.
Eup. Omnia nanc plaudunt. Fulva Tyberinus ab urna
Lætus ovat; priſcoſque ſibi non invidet annos.
At ſi abeas tu Daphni ; ſuo ſe gurgite condet
Squallidus, & triſti nunquam caput efferet amne.
Hactenus hæc illos tyrreni ad litoris undas
Felici nimium memini depromere cantu.
Namque & regales Daphnis cantantibus aures
Præbuit, & meritis cumulavit carmina donis ;
Donis, quæ ſibi Cimodoce, quæ candida Drymo
Romuleæque omnes cuperent habuiſſe Napeæ.
Argilla hic tenui, & pictis decorata figuris
Pocula bina tulit. Veros ibi currere cervos
Per juga ſumma putes ; ſequitur venator anhelos
Acer equis, longoque necat ſine vulnere curſu.
Ille urnam fulgentem auro, ſigniſque rigentem.
Quam circum laurus late victricia fundit
Brachia complectens ; inſciptæ nomina Regum
Oſtendunt frondes : magnos, niſi fallor, Othones ;
Henricos, Lotharoſque : & quæ mihi legit Amyntas
Ordine quæque ſuo ; ſed non ego lecta recordor.

ECLO-

ECLOGA II.

Glaucus

Cl. Viri Scipionis Marchionis Maffeii ſtudia celebrantur.

Sed nimium notas ponti refluentis arenas,
Littoraque, & remos ſtantis prope littora cymbæ
Linquite Pierides: ſtat jam majoribus auſis
Velivolam tentare Thetin; ſtat pellere puppim
Ulterius, fremituſque omnes ſuperare marinos.
Tuque ades, & pelago ne dedignare patenti
Vela dare inſinuans, tenueſque audire Camœnas,
Quas tibi prærupti de verticibus Parnaſſi,
Si quid is eſt labor, ad liquidas deduximus undas.
Sic tibi cum veterum relegens veſtigia Patrum
Divitias superùm reteges, noſtrumque docebis
Pectus ut arcanis irroret Gratia rivis,
Annuat, & magnus tibi, Scipio, concinat æther;
Et fremitu tibi monſtra ſuo cocytia plaudant.
Glauci Romuleas modulatum carmen ad undas
Accipe nunc, & noſce tuas in carmine voces.
Qua ſpectat latiæ Tyberis miracula pompæ
Regnator, veniens Benaci e litore Glaucus
Auguſta in ripa conſederat: atque ibi ſegnes
Laurentis fluvii dum perſcrutatur arenas,
Et ſtupet antiqui monumenta abſcondita luxus;
Mulcere aërias incœpit cantibus auras:
Incœpit; preſſiſque ſimul Tyberinus habenis
Frœnavit curſum, & meliori murmure capti
Aëre ſuſpenſos venti tenuere ſuſurros.
Nam canit ut dextræ prima omniparentis alumna
Materies viſi correpta cupidine Pulchri
Flagrarit, thalamoque Deum complexa jugali
Hæreat uſque comes; nec ni cœleſtibus acta
Imperiis viduo ploret deſerta cubili.

Utque

Utque igni, & terræ hinc fuerint, animæque, marique
Principia, atque novis etiamnum exordia rebus,
Quas paſſim attonitæ ſpectant conſurgere gentes.
Inde refert jactam phœbea e lampade lucem
Per ſudum gyros glomerare, atque æthera totum
Cingere, in adverſos donec ſalit aurea montes.
Qualiter immoto ſi quis volventia fundat
Saxa lacu, fugere undæ, & ſumma æquora curvis
Criſpantur tergis, inſertique orbibus orbes
Diſcurrunt, creberqne ad ripas frangitur arcus.
His addit qua vi contriſtent aëra nimbi,
Quum pluvias, hyemeſque ferunt; his tortilis ignes
Fnlminis, errantemque ſequentia cœrula lunam,
Utque hinc alternis aut litus verberet unda
Aſſiliens ſuper; aut brevius ſe colligat æquor.
Mox Equitum ingenuas mentem formare per artes
Aggrediens, ſolidi leges componit honoris
Legibus æthereis, atque arcto fœdere jungit.
Hinc Patriæ decora alta ſuæ, ingentumque laborum
Relliquias, magnæque remota exordia gentis,
Palladiaſque refert animas, & martia corda.
Tum veteres ſcrutatur opes, atque eruta terris
Marmora: tum priſcas ſenio turpante papyros
Tergit, & obſcuris afflat nova lumina chartis.
Quid memorem ut majora orſus, magnumqueTonantis
Ingreſſus penetrale, canat, qua luce retectum
Divinæ pateat menti toto orbe quod uſquam eſt;
Quæ fuerint, quæ mox ventura in ſæcla trahantur,
Nulla licet cauſis horum picta iret imago?
Nec lateat ſupremam aciem gens libera quicquid
Arbitrio uſa ſuo pareret fandi, atque nefandi
His ſi opibus, vel ſi aucta foret divinitus illis?
Tum Pindi lucos, latebraſque ingreſſus amœnas
Pieridum, Auſonii peragrat ſpatium omne Theatri
Arduus, & totas vocat in certamen Athenas.
Teque tuo primum minitantem funera nato

Com-

Compellat Merope, & queſtu deterret acerbo;
Ah miſera, ah male cauta! tuo quid ſanguine tentas
Commaculare manus? nec dum tua viſcera cernis
Perdita, nec vultus Polydori agnoſcis amicos?
Ah miſera, ah male cauta! tuus, tuus ille. Quid ultra
Cœca furis? Prohibe infandam a cervice ſecurim:
Ulciſci quod rere, patras ſcelus. Illa tenebras
Diſcutit, & tanto pectus concuſſa periclo
Concidit exanimis: Vos hanc famulantibus ulnis
Excipite, o Sociæ, & rebus ſervate ſecundis.
Tum canit infandas cædes, & dira Tyranni
Crimina, tum meritas ſcelerato a ſanguine pœnas
Exigit, & ſacras Polyphontem obtruncat ad aras.
Quid loquar, ut dulces leviori pollice chordas
Temperet, & fidæ memoret ſuſpiria Nymphæ,
Aut nimis urbanos Plautino ut carmine ritus
Vellicet, & riſu vitium perſtringat amaro?
Poſtremo Puerum, quem tot ſceptra alta manebant,
Extinctum luget, miſerumque in funere Patrem,
Heu! non jam Patrem, dictis ſolatur amicis.
Heu miſerande Puer! quanto regna omnia luctu
Impleſti abſcedens! totam furialibus armis
Concuſſam Europam, atque undantes ſanguine campos,
Et deſolatas paſſim deflevimus urbes.
Tu tamen interea cognatis redditus aſtris
Nectareos ducis ſuccos, ſanctaque Deorum
Paſceris ambroſia, & riſu mortalia temnis.
Quæ dum cuncta canit plauſum mavortia tellus,
Tar pejumque jugum, & Capitoli immobile ſaxum
Edi dit, & cantum cupidæ didicere Napeæ.

ECLO-

ECLOGA III.

Celadon Paſtor, Lycidas Piſcator.

D. Petri Apoſtolorum Principis laudes canunt.

Lyc. Dic mihi, cur domina, Celadon, tam Serus ab Urbe?
Nam tibi nec gelidi dura inclementia cœli,
Nec pluviæ fecere moram: formoſior unquam
Non fuit ulla æſtas, nec tempore forſitan ullo
Tam levibus mites ſpirarunt flatibus auræ.
Certe ego cœruleos dum ſector arundine piſces,
Aut placido vacuas demitto in gurgite naſſas,
Nunquam immota magis vidi ſtare æquora, nunquam
Clarius ex imo tenues ſe prodere arenas.
Cel. O qualis, Lycida, qualis ſpectacula pompæ,
Qui cantus, feſtique ignes, quæ gaudia denos
Me Romæ tenuere dies! quæ dum omnia mecum
Nunc etiam recolo, mihi crede, virentia ſordent
Prata, nec agreſtes, cum forte in gramine molli
Ruſtica turba ſalit, poſſum jam ferre choreas.
Lyc. Non equidem temere tam longo tempore rebar
Linquere te ſolas voluiſſe per arva bidentes.
Præſertim cum nec Pholoë, neque Chloris adeſſet,
Quæ paſtos caulis noctu concluderet agnos.
Verum ea quæ fuerint, Celadon, da gaudia nobis.
Auditis quoque rebus ineſt ſæpe æqua voluptas.
Cel. Hoc equidem volvo, tenui ſi claudere verſu
Cuncta queam, læta quæ paſſim adſpeximus Urbe.
Proxima lux aderat, magnum quæ Daphnin Olympo
Intulit, & numerum Divorum altaribus auxit.
Quis tamen hic primum ductam longo ordine pompam,
Perque vias ſtrepitumque equitum, ſonitumque rotarum

Can-

Cantibus æquiparet? mediis cùm in millibus Heros
Iret, & in templum dona ampla inferre pararet?
Vel cum Quadrupedem phaleriſque oſtroque ſuperbum
Principis ante pedes ipſa intra limina templi
Vectigal regnorum, atque alti nomine Regis
Siſteret, & multo loculum daret ære ſonantem?
Atque utinam poſſem tibi verba alterna referre.
Sed mea paupertas, braccatique agminis haſtæ
Submotum longe voces audire vetarunt.
Magnum Illum tamen adſpëxi, qui paſcua late
Cuncta tenet, cunctumque orbis regit unus ovile;
Cui pecudes parere ferunt, pecudumque magiſtros.
At quanto inceſſit perfuſus lumine frontem,
Quem ſeſe ore ferens! ſcires, pia numina terris
Daphnidis hunc poſuiſſe loco; tantum inſtar in ipſo
eſt.
Sed jam veſper erat, cum centum exploſa repente
Æra tonant, magniſque laceſſunt ictibus auras,
Undique & omnigenas turris vomit ardua flammas.
Ut ruit in campos denſiſſimus æthere nimbus;
Ut juga coniferæ cingunt montana cupreſſi;
Ut ſubitæ extructis ſaliunt de fontibus undæ;
Sic ego vidi ignes: tum longo limite ſulcos
Surgere flammarum, & ſtellas fluere inde cadentes.
Quin etiam cœlo, ſi quidquam credis, aperto
Vidimus ignitos, ut in æquore, ludere piſces,
Et trepidam huc illuc agitare per aëra caudam.
Quos tibi ſi, Lycida, tua fata videre dediſſent,
Forſitan in ſuperos jeciſſes retia campos.
Quid loquar, ut cunctis exinde Urbs tota diebus,
Thure vaporatas, precibuſque incenderit aras
Daphnidis, & ſacros templis celebrarit honores?
Nec requievit enim; donec pandem extulit ortus
Nona aurora ſuos, radiiſque retexit Olympum.
Quid tamen exiguis juvat hæc tenuare camenis?
Tu potius, tantis ut plauſibus adſonet æquor,

Qua-

Quaque licet, dominam referant tua litora Romam,
Incipe, ſiquid habes; & Daphnin concava portus,
Pulſati Daphnin repetant per Cœrula fluctus.
Incipe: piſcator meruit ſibi talia Daphnis.
Lyc. Immo hæc, quæ latias properavi nuper ad undas,
Quæque meus legit, nec ſpernere viſus, Amyntas,
Incipiam: modo tu, Celadon, tua carmina nobis
(Nam pavit quoque Daphnis oves) meliora rependas.
Cel. Tecum equidem non unquam auſim certare canendo.
Quid tamen & noſtræ poſſint in Daphnide muſæ,
Experiar: ſed tu meditatos incipe verſus;
Incipe; quando acres nullus mulcere procellas
Lenior, & motos cantu componere fluctus.
Lyc. Vellite ab invitis nodoſa corallia ſaxis,
Oſtreaque, & toto conchas perquirite ponto
Nereïdes; dignum non unquam Daphnide munus
Illius ad tumulum, ſacraſque feretis ad aras.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Dum traheret piſces; dumque aurum piſcis in ore
Solveret inventum; fortaſſe hæc dona decebant.
Poſtquam illum juſſit ſummi Regnator Olympi
Litus ad æternum potiores ducere prædas,
Gemmiferas, Divæ, ſpolietis oportet arenas.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Sed quid ego hæc autem neptunia numina poſco?
Fabula jam Nereus, Panopeque, & candida Drymo,
Fabula Cymothoe; ſed non & fabula Daphnis.
Ille hominum miſera tenebras de mente fugavit;
Compulit & vanos toto orbe faceſſere Divos.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ille novus pelago Deus additus; Ille tuetur

Ethe-

Ætherios poſtes ; terris Ille imperat imis.
Subdidit & parva circum maria omnia cymba ;
Atque unus tria regna ſacris moderatur habenis.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Daphni, tuam cunctas victricia vela per undas
Explicuiſſe ratem, Pœni, Ammericique loquuntur ;
Horridus arctoa loquitur piſcator in acta,
Atque Arabes, Perſæque, atque extremi Garamantes.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ite ſacræ puppes ; & ſceptrum Daphnidis omnes,
Siqua ſuper non nota manet, protendite in oras.
Nec ſignorum obitus poſthac ſervate, vel ortus.
Ecce novum cœlo proceſſit Daphnidis aſtrum,
Æquore jactatis melior cinoſura carinis.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Aſt ego ubi cineres felix tegit ara ſepultos,
Quatuor & magnæ ſinuoſo ex ære columnæ
Aurea fulgentis ſuſtentant culmina tecti,
Igne ſacro, & plena thuris venerabor acerra.
Votaque ſemper erunt, & cum tentabimus æquor,
Et cum ſervatas referemus ab æquore puppes.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Tu tamen ætherei ſervas qui limina portus,
Sis pius o! bone Daphni, tuis : bella (aſpice) venti
Dira movent, cæcaſque occultant marmora cautes.
Da faciles auras, & curſum, Dive, ſecunda.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Fallimur, an cœli Daphnis de parte ſerena
Intonuit lævum? Non fallimur : auribus hauſi
Ipſe ſonum ; nec ſemper amans ſibi ſomnia fingit.
Senſit ab axe bonus, mea ſenſit carmina, Daphnis.

Cel.

Cel. Grande ſonas, Lycida, nec ab alto murmura malim
Labentum fluviorum; aut cum per Cœrula cauri
Prælia ſæva gerunt; fremitus audire marinos.
Fortunate Senex; jam te non magnus Aretas,
Non ingens Oritus vincat; nec, quis fuit ille?
Quem ceciniſſe olim reſonantibus omnia Silvis
Neſcio quam dicunt Auroram, Arcumque bibentem;
Nos tamen & contra noſtra hæc quæcunque canemus.
Et tibi ſi noſtræ cedunt in carmine muſæ,
Non animis etiam celebrando in Daphnide cedent.
Lyc. An quidquam nobis cantu ſit gratius iſto?
Et te Pierides vatem facere, neque ulla
Dulcior arcadiis reſonat jam fiſtula ſilvis.
Cel. Quas mihi nunc rupes, monteſque recluditis altos
Aonides? quæ grandiloquæ mihi munera vocis
Phœbe pater, quas tu inſuetas in carmina vires
Sufficies nunc Phœbe; quibus ſublimior agris
Tollar, & attritæ ſpernens rude murmur avenæ
Incipiam dignos meditari Daphnide cantus?
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Nos mortale pecus miſeræ per paſcua terræ
Ducimus; aut pecori fragiles apponimus herbas
At gregis æterni felix cuſtodia Daphnis
Longe alias & noſcit oves, & noſcitur illis.
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus;
Has non Dametas olli, non tradidit Egon,
Non opulentus agris, & abundans lacte Menalcas;
Ipſe ſed in terras demiſſus ab axe Theander
Paſce meas, dixit, ſacris in montibus agnas,
Paſce, tuumque mihi, ſic, Daphni, probabis amorem;
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus:
Perge pecus felix procedere; nunc bene gramen
Carpitur: innocuos Daphnis tibi præſtitit agros;
Præſtitit & tutas ſinceri fluminis undas,

Pocula jam ſerpens non inficit ulla veneno;
Nec cythiſos inter livent aconita ſalubres
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula diſpice verſus.
Huc huc o! cunctæ properatæ ex orbe capellæ:
Nulla ſalus aliis, ne quis vos fallat, in agris.
Paſcua namque, bonus, quæ non tenet, extera, Daphnis
Omnia virus habent; omni latet anguis in herba.
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Nullaque vana ſuæ prætendat nomina culpæ,
Cauſeturque ſacras ſe non dignoſcere caulas.
Qualiter aërio ſeſe dat clara videndam
Urbs impoſta jugo: cunctis ſpectabile terris
Daphnidis æternum ſic ſe alte oſtendit ovile.
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Nec metus, exhauſtis unquam ne fœtibus omnis
Deficiat ſoboles, & inania prata relinquat:
Scilicet ut ſemper cœlum vaga ſidera paſcet,
Semper ut æquoreas decurrent flumina in undas;
Daphni, tuæ ſic ſemper oves, & rura manebunt,
Damna nec interitus unquam ſenſura, nec ævi.
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Ergo quid immites orci de faucibus urſi,
Quidve, lupi, obſcuris huc tot properatis ab antris?
Fruſtra eritis: ſancto, Daphnis quod ſervat, ovili
Ulla nec Eumenidum poterit vis ſæva nocere,
Quotquot & infernæ fundant monſtra horrida portæ.
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Quid miſer aſpicio? mille heu per vulnera Daphnis,
Ut tutetur oves, vitam cum ſanguine fundit.
Macte tamen pulchro, Paſtor macte optime, letho.
Non ovibus poteras majus dare pignus amoris;
Nec vita ſolum æquiparas, ſed morte Magiſtrum.
 Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
At nunc poſt vitæ tantos, obituſque labores
Sub pedibus ſoliſque vias, atque aurea Daphnis
Aſtra videt; foribuſque alti præfectus ovilis

Di-

Divûm ad ſepta vocat terris ex omnibus agnas ;
Atque intro meliore hædos compellit hibiſco .
Deſpice bucolicos , mea fiſtula, deſpice verſus .
Quid volui demens ? majoraque viribus auſus
Magna Deûm parvis tenuavi facta cicutis ?
Non mihi ſi calamos det Tytirus ipſe ſonantes ,
Queis cecinit dignas Romano Conſule ſilvas ,
Daphni, tuas poſſim laudes æquare canendo .
Rurſus ad agreſtes redeas , mea fiſtula, verſus .
Lyc. Et tu non mecum audebas contendere cantu ?
O nimium, Celadon, o de te injuſta locute .
Pieridas ſuperant noſtras tua carmina tantum ,
Quantum ululas Cycni, quantum Philomela cicadas .
Cel. Has in te potius, Lycida, convertere laudes
Me decet ; Auſonia quando te Phoebus in omni
Rectorem vatum , & cantus dedit eſſe parentem .
Sed jam age ſurgamus : verſo nam pronus Olympo
Me vocat ad caulas, te jacta ad retia veſper ;
Et celeris volat hora , neque audit tempus habenas .

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Rm̃i P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Prædic.

HAG 2017594

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA